



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Sancta Communitas, In Paupertate religiosa inviolata

Wissingh, Anton

Coloniae Agrippinae, 1699

Liber III. De cupiditate inimica religiosæ paupertati; item de proprietate, peculio, & deposito.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49611](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49611)



LIBER III.

*De cupiditate inimica religiosa
paupertati, item de proprietate, pe-
culio, & Deposito, &c.*

Nota Amice Lector.

I. **I**n hoc libro pugnandum erit contra odibile
bonum, aut, (si mavis sic dici) contra ama-
bilem inimicum, quæ est pecunia: perperam
enim hæc amatur subinde à privatis Religiosis
tamquam magnum bonum, at quæ auferit ipsis
summum bonum, utpote irremediabilem nonnum-
quam inferens perniciem contra S. paupertatis vo-
tum; fiuntque exinde peculiariste, proprietarii,
& cum Anania, & Saphira condemnantur in ju-
dicio S. Petri, cadunt mortui, nec resurgunt in-
felicissimi, sed efferruntur sepeliendi. Non mirum;
nam, ut agebat S. P. N. Franciscus, Pecunia servis
Dei nihil aliud est, quàm diabolus, & coluber ve-
nenosus. (S. Bonav. c. 7. vita §. f.)

II. Ut autem pranoscat benevolus Lector, me
hic nolle charitatem pungere, non ledere, non irri-
tare, utpote quam intendo simul & veritatem pro-
pugnare; significo ei, intentionem meam neutquam
esse,

esse,

esse, quòd velim ullum religiosum Ordinem, aut Professores ejus, sive in communi, sive in particulari taxare, suggillare, reprobare, oppugnare, aut invidiosam apostrophem ad eos dirigere: sed, quòd SS. Patrum sententiis, doctrinis, exemplis, eorumque Regulis ac Constitutionibus adjutus, fultus, ac munitus, peculia illicita, peculiaristasque ab Ecclesia & voti emissi Sacramento condemnatos, proprietatesque, coram Deo ac SS Angelis foetentes intendam aggredi, non tamquam vulpeculas, sed grandes fallacissimasque vulpes, quae sacrae Religionis intendunt demoliri vineas; immo tamquam armatum hostem persequar has & illos, utpote qui intendunt S. Religionis Filios excacare, illaqueare, captivare, jugulare, internecioni dare. Aggrediar hostem, in abstracto sese iactantem, ne in concreto inveniam tumultuantem. Interim peculia, quae licita, nolo condemnare, nec ex meo capite de illis quidpiam sententiare; minus variorum praclarorum Ordinum Religiosorum permissas, toleratas, approbatas consuetudines, si quae sint, condemnare. Non persequar amicos, sed vindictam sumam de inimicis statùs religiosi, quorum maximus est proprietas, immo larvatus quidam diabolus. NB. Audi causam.

III. Didici enim ex Chron. Ord. nostri, quòd diabolus habitu Minoritico larvatus diu Minoritam mentitus fuerit, multosque seduxerit pessimus Confrater Fratres. Idem ex revelat. S. Birgit. quòd diabolus instar Monialis velatus, tamquam una ex illis in monasterio inter illas comparuerit. Proinde larvatum hunc proprietatis vitio diabolum,

lum, aut obrusa ab eo pecuniaria idola impugna-
bo, aggrediarque, hac spe fretus, (quam facit sibi
Doctōr Seraph. in Psalt. Mariae.) ut conteratur
sub pedibus meis, omniumque Religiosorum sexūs
utriusque, qui paucula hac à me ex SS. PP. ex-
cerpta & adnotata legent, aut legi audient, ne
umquam se ab eo captivari permittant. Si itaque

CAPUT I.

De cupiditate pecuniarum, noxia Religioso
in particulari, &c.

Q. 1. Quàm necessarium sit Religiosis, cupi-
ditatem pecuniarum edomare, ut non pri-
vatum inficiat, aut pervertat.

R. 1. S. Bonav. in Hexameron serm. 5. Hanc
passionem contemporaneam nobis, quæ incipit in
pueris, & terminatur in senibus, oportet primo do-
mare: & ista est concupiscentia, postea est cupidi-
tas. Puer enim primò appetit manducare, & po-
stea pecuniam: unde mirabiliter delectatur in illa.
Et, si puero offeras panem, & denarium; accipit
denarium, & relinquit panem. Hoc inficit homi-
nes; concupiscunt enim habere & retinere. Appre-
tiari hæc ut felicissima, malitia est; aspernari ut
execrabilia, malum est; sed ut instrumenta vir-
tutis diligere, indifferens, & bonum est. h. i.

R. 2. Angelus in serm. ad S. Birgit. pro die
Dom. aiebat: Ita odiosa est Deo mundana cupido
in homine, sicut Noë sentina in arca sua. h. i. Hinc
sicuti in sentina dictæ arcæ congregata fuit om-
nis

nis

nis fex, immunditia, & sordium colluvies: ita ne dubites, in corde religiosi, pecuniæ inhiantis sordidè, sordium colluviem seu vitiorum congeriem, ipso non advertente hospitari.

R. 3. Ex serm. Fausti Abbatis Lirinensis ad Monachos. Peculiariter ad professionem nostram pertinet, paupertatem studio querere, & non solum facultates, sed & ipsas voluntates de cordibus eradicare. Nihil enim proprii habere, res necessitatis exigit; nihil autem concupiscere, res est virtutis. h. i.

Q. 2. Cur Religiosus inordinatam cupiditatem pecuniarum abjicere debet?

R. Ex saluberrimis admonit. S. Basilii Magni Monachorum Patris ac Legislatoris c. 9. in magno Regulario contentis, ubi quemlibet Religiosum pro fuga hujus vitii valde seriò admonet, & sic alloquitur; Et ne pecuniarum cupiditati te subicias, ab omni avaritia declina cor tuum, ut non condemnaris sicut adulter, & idolorum cultor. Noli amare mammona; ne offendas eum, cui membra tua, & mentem pariter dedicasti. Ne petas ea, quæ te avocant & separant à Domino. Noli diligere opes terrenas, ne amittas cælestes. Multi cupientes aliena, & suis privati sunt. Alienatæ sunt à nobis hujus sæculi voluptates; nostra autem possessio regnum cælorum est. Noli petere aliena; ne à tuis fias extraneus. Quotidianum victum sufficere tibi contentus esto: quidquid superfluum est, projice abs te tamquam propositi tui impedimentum. Ne cupias fieri locuples, ne in tentationes incidas, & in laqueos diaboli. h. i.
Et subdit ibidem: *Ca-*

Caveto avaritiam; quia radix omnium malorum ab Apostolo nominata est. Pecuniarum cupidus NB. jam animam suam venalem habet: si enim invenerit tempus, pro nihilo perpetrabit homicidium; & sic qui effundit aquam super terram, ita est ei effundere sanguinem proximi sui. Plerique per avaritiæ ardorem in mortis periculum inciderunt. *h. i. Pergit ibidem:*

Dominus noster & Salvator à corde Phariseorum volebat pecuniarum amorem excludere: sed quia illi erant cupidissimi, salutaria ejus monita deridebant. Nam & illum divitem cum Dominus vocans ad regna cælorum facultates suas vendere præcepisset, aviditas intrare non permisit. Et Judæ pectus avaritiæ ardore exarsit, ut Dominum largitorem sibi cunctorum bonorum in manus traderet impiorum. Avarus enim vir inferno similis est. Infernus igitur quantoscumq; devoraverit, numquam dicit, satis est: sic et si omnes thesauri terræ confluerint in avarum, non satiabitur. *Alienum te facito, Fili, ab hoc vitio, & voluntariam paupertatem libenter assume. h. i.*

Q. 3. Quæ prima horrida pœna Religiosi inordinatè amantis pecunias, &c.

R. 1. Quòd sit obtenebratio mentis. De qua Evagrius Monachus in sentent. aur. ad Cœnobitas sic ait: Sicut charitas gaudet paupertate, sic odium delectatur divitiis. Non potietur dives scientia: & camelus non introibit in foramen acûs. Qui diligit pecuniam non videbit scientiam; & qui congregat illam, contenebrabitur.-- Melior est pauper-

tas cum scientia, quàm divitia cum ignorantia.
Ornamentum capitis corona; ornamentum autem
cordis scientia Dei. h. i.

R. 2. De Religioso nummorum inordinato a-
matore vix bonus fructus speratur, juxta Regu-
lam 66. *Isaie Abbatis*, quæ inquit: *Serva te ipsum*
à divitiis, earumque amore; quoniam corrumpunt
fructum Monachi. h. i.

R. 3. Amor hic inordinatus nummorum pan-
dit viam ad omne malum. De quo *Cassian.* l. 7.
de spiritu philargyriæ c. 6. *Quamobrem nulli vi-*
lis, despectusque videatur hic philargyria (id est,
cupiditatis pecuniarum) morbus: qui sicut potest
perfacile declinari, ita si quemquam possederit, ad
sanitatis remedia vix pervenire concedit. Recepta-
culum namque est vitiorum, malorumque omnium
radix, & inextricabilis nequitia fomes efficitur, di-
cente Apostolo i. Tim. 6. Radix omnium malorum est
philargyria, id est, amor pecunie. h. i.

R. 4. Nummatus Monachus, in pœnam suæ
inordinatæ cupiditatis, meritò vilescit coram
Deo, & mundo; prout asserit *S. Bonav.* c. 4. su-
per Regul. dicens: *Sciebat servus Dei, Francis-*
cus, per denariorum receptionem, sub falso pra-
textu necessitatis, plures in clero & clauistro, & Deo
& hominibus viluisse; eò quod radix iniquitatis
Antiochus (qui interpretatur silentium paupertatis)
templum Dei legitur in Machabeorum historia
profanasse: & contenebrescente studio sapientia
quasi Sole, Luna scientia & studii in sanguinem est
commutata. h. i.

Q. 4.

Q. 4. An Religioso privato plus noceat amor acquiritorum nummorum, quam sitis acquirendorum.

R. Licet tam hæc, quam ille plurimum descendit Religionis statum, tamen plus nocet ille. *Ratio est;* quia, ut dicit *S. August.* in Epist. ad Paulin. *Terrena diliguntur arctius adepta, quam concupita.* (forte tamen concupita inquietant amplius). Et *S. Chrys.* in Matth. *Apposicio divitiarum majorem ascendit flammam, & vehementior fit cupido.* h. i. Ex habitis ergo pecuniis tria perfectionis & charitatis impedimenta subnascuntur in Religioso, scil. 1. sollicitudo inordinata. 2. amor inquietans, & à Deo avocans. 3. inanis gloria, seu elatio supra alios. Hæc autem tria impedimenta quia remouet *voluntaria per votum paupertas*, hinc hæc vocatur *perfectionis instrumentum* à *D. Th.* 2. 2. q. 118. a. 7. in corp. Sed

Q. 5. Utrum amare, & quærere terrenas facultates pro communitate, seu necessitate Religiosorum in communi viventium sit etiam vituperabile, sicut pro se privato, &c.

R. negat. Conformiter doctrinæ *D. Th.* lc. ubi inquit: *Sollicitudo, quæ circa proprias divitias adhibetur, pertinet ad amorem privatum, quibus quis se temporaliter amat: sed sollicitudo, quæ adhibetur circa res communes, pertinet ad amorem charitatis, quæ non querit, quæ sua sunt, sed communibus intendit. Et quia Religio ad perfectionem charitatis ordinatur, quam perficit amor Dei usque ad contemptum sui; habere aliquid proprium repugnat perfectioni Religionis, sed sollicitudo, quæ*

N

adhi-

adhibetur circa bona communia, pertinere potest ad charitatem. -- Ex quo patet, quod habere superabundantes divitias in communi sive in mobilibus, sive in immobilibus, est impedimentum perfectionis; licet non totaliter excludat eam. Habere autem de exterioribus rebus in communi, sive mobilibus, sive immobilibus, quantum sufficiat ad simplicem victum, perfectionem religionis non impedit, si consideretur paupertas ad communem finem Religionum, qui est vacare divinis obsequiis &c. h. i.

Q. 6. In quo felicitas Monachi, pecunias non pro se quaerentis, consistat.

Respondet B. Macarius in Epist. quod faciat eum expeditum ad Dei servitium; & sic sonant verba ejus: Ut enim cumulata navis undarum ictu obruitur; sic multa possidens Monachus non salvabitur. Nihil possidens Monachus athleta insuperabilis: nihil possidens Monachus cursor levis, velociter ad bravium vocationis pervenit. Avarus Monachus operari negligit: nihil possidens Monachus post opus moderatum, orationibus & letitionibus vacat. Avarus Monachus thesaurizat sibi iram in die ultionis: nihil possidens Monachus thesaurizat in caelo, & dabit laudem cum Angelis Deo, &c. h. i.

* * * *

CAPUT II.

Quomodo Philargyria, id est, amor pecunia, in Monacho malo subinde generetur, & incrementum sumat gradatim.

Circa hoc non proprium animi sensum, aut experimentum, sed *Joannis Cassiani* ponam sententiam; qui ad unguem describit, & quasi ante oculos pingit l. 7. de spiritu philargyriae c. 7. & seqq. Itaque

I. Gradus Tepor, otium, murmuratio, &c.

I. Hæc Philargyria cum remissam, tepidamque possederit Monachi mentem, primitus eum in exigua summa sollicitans, justos quosdam & velut rationabiles ei colores, ob quos vel reservare sibi aliquid pecuniæ debeat, vel parare, describit. Nam & ea, quæ præbentur in Monasterio, queritur non esse sufficientia, & sano robustoque corpore vix posse tolerari. Quid faciendum, si valetudo mala carnis emerferit, & reconditum non fuerit aliquid peculiare, quo sustentetur infirmitas? præstationem Monasterii esse pertenuem, & negligentiam erga ægrotantes maximam. Si proprium aliquid non fuerit, quo cura corpori valeat adhiberi, miserè esse moriendum. Ipsum etiam vestimentum non sufficere quod præbetur, nisi procuraverit, unde sibi aliud valeat exhiberi.
h. i.

II. Inquietudo, vanitas, ambitio, &c.

II. Postremò nec diu posse in eodem loco vel Monasterio commorari: & nisi paraverit sibi via-

N e tici

tici sumptus, evectionisque transmarinæ mercedem, non posse, cum voluerit, transmigrare, & necessitate inopiæ coarctatum, laboriosam ac miserabilem absque ullo profectu vitam jugiter toleraturum: inopem se quoque semper ac nudum non sine improprio alienâ substantiâ sustentandum. Itaque cum hujusmodi cogitationibus laqueaverit mentem, qualiter unum saltem denarium exquirere possit, excogitat. h. i,

III. Singularitas, privatorum questio, &c.

III. Tunc peculiare opus, quod exerceat, Abbate inscio, sollicita mente perquirat. Quod vendens clam, & optato tandem potitus nummo, qualiter eum duplicet, acrius vehementiusque torquetur, ubi reponat, cuique illum credat ambiguus. Deinde quid ex eo coëmere, qualique cū commercio valeat duplicare, cura graviore distenditur. Cumque illi & hoc ex voto cesserit, avidior fames accrescit auri, tantòque vehementius suscitatur, quantò etiam summa lucri major apponitur. Cum pecuniæ etenim incremento rabies cupiditatis augetur. h. i.

IV. Sollicitudo vana, inutilis, noxia, &c.

IV. Dum deinde vita longæva promittitur, senectus incurva, infirmitates diversæ atque prolixæ, quæ, nisi major summa in juventute fuerit præparata, tolerari in senecta non possint. Agitur itaque infelix anima serpentinis nexibus obligata, dum materiam malè concretam nequiore cura concupiscit augere, pestem sibi, quâ diriùs inflammatur, ipsa parturiens, totâque lucri cogitatione possessâ, nihil aliud respicit cordis intuitu, quam

quàm unde pecuniam parare valeat, per quam possit de monasterii disciplina quantocyus evolare, nullam exhibens fidem, ubi potuerit nummi spes aliqua refulgere. h. i.

V. Verbofitas, contentio, discursus anxius, &c.

V. Pro hac non mendacii, non perjurii, non furti facinus admittere perhorrescit, non fidem frangere, non iracundiæ noxio furore suppleri. Si quoquam à spe quæstus deciderit, non honestatis, non humilitatis modum transcendere pertimescit, fitque ei per omnia, ut aliis venter, ita huic aurum, & spes lucri pro Deo. Unde B. Apostolus hujus morbi noxia venena prospiciens, non solum eam radicem esse omnium malorum, verum etiam idolorum servitutem pronuntiavit dicens: *Avaritia, quæ est idolorum servitus.* Ephes. 5. h. i.

VI. Dei timor abjicitur, &c.

VI. Cernis igitur, ad quantam labem rabies hæc per gradus singulos crescat, ut etiam idolorum vel simulacrorum servitus, Apostoli voce pronuncietur, eò quòd figurâ Dei & imagine prætermisâ (quam devotè serviens Deo immaculatam in semetipso debuit custodire) hominum figuras impressas auro diligere pro Deo maluit, & tueri. *Hucusque literatenns Cassianus. Et pergit c. 8.*

VII. Obedientia, & regularis vita contemnitur, &c.

VII. Talibus igitur decessionum profectibus in deterius crescens, nullam deinceps humilitatis, nullam charitatis, nullam obedientiæ, non dicam

virtutem, sed ne umbram quidem virtutis retinere contentus, indignatur ad omnia, & ad singula opera murmurat atque suspirat. Nullâque jam reverentiâ reservatâ, velut equus durissimus ad præcipitium fertur infrenis, nec victu quotidiano, nec solito indumento contentus, non se diutius hæc toleraturum esse testatur: Deum quoque non ibi solummodo esse proclamatur, nec salutem suam in illo tantum loco esse conclusam. Unde si quoquam non se celerius asportaverit, se periturum protinus graviter ingemiscit. *Pergit in c. 9.*

VIII. Insolens, effrons, temerarius, audax, &c.

VIII. Itaque instabilitatis suæ viaticum habens nummos, in quorum præsidio, alarum sibi instar aptavit, jamque ad transmigrandum paratus, insolenter ad omnia præcepta respondet: & tamquam peregrinum extraneumque se gerens, quæcumque indigentia correctione perspexerit, negligit atque contemnit. Cumque furtim possideat reconditam pecuniam, nec calceamenta quidem ac vestimenta se habere conqueritur, dærique sibi tardiùs, indignatur. Ac si fortè dispensatione senioris, ei priùs, qui nihil penitus habere cognoscitur, aliquid horum fuerit impartitum, majoribus iræ stimulis inardescit, seque despici velut extraneum putat, nec ad ullum opus manus suas accommodare contentus, reprehendit omnia, quæ necessariò fieri Monasterii compellit utilitas. Deinde occasiones, quibus offendi vel irasci debeat, studiosè perquirat, ne leviter motus de conobii disciplina videatur exire. Nec
solus

solus tamen transmigrare contentus, ne tamquam suô vitiô deseruisse credatur, quantos potuerit susurrationibus clandestinis depravare non desinit. Quòd si etiam temporis asperitas, itineris seu navigationis ejus intercluserit com-
meatum, per omne illud tempus suspensò an-
xioque residens corde, tristitias serere, vel ex-
citare non cessat: discessus solatium, & excusa-
tionem levitatis non se aliter credens, quàm no-
tâ vel maculâ Monasterii repecturum. *Per-
git cap. 10.*

*IX. Pecunia excacat rationem, obdurat
voluntatem, &c.*

IX. Agitur itaque facibus pecuniarum suarum
magis ac magis accensus, quæ possessæ numquam
Monachum vel in Monasterio residere, vel vive-
re sub regulæ institutione permittunt. Cùmque
exinde eum velut feralis quædam bestia de cœtu
gregis segregans, pecus opportunum prædæ,
destitutione sodalium fecerit, & devoratione fa-
cilem contubernii privatione reddiderit, eum,
qui prius opera Monasterii levia exercere despe-
xerat, die ac nocte spe quæstûs infatigabiliter
laborare compellit: non orationum solemnia,
non jejuniorum modum, non vigiliarum regu-
lam custodire permittit, non honestarum inter-
cessionum explere officia sinit, dummodo vel
avaritiæ rabiem satiare, vel quotidianis usibus
possit occurrere; cupiditatis ignem dum ac-
quirendo extinguendum credit, accendens.
Pergit cap. 11.

X. *Amor pecunie in omne malum precipitat, &c.*

X. Hinc jam nonnulli per abruptum præcipitium lapsi irrevocabili ruina feruntur ad mortem; & non contenti soli possidere, quas vel numquam habuerant, vel initiò malò reserverant pecunias, inquirunt contubernia feminarum, quæ debeant ea, quæ malè congesta vel retenta sunt, custodire. Tantisque se occupationibus noxiis ac perniciosis involvunt, ut usque ad profundum inferi devoluti, dum acquiescere illi sententiæ Apostolicæ renuunt, 1. Tim. 6. ut *habentes victum & vestimentum, his contenti sint, quæ Monasterii frugalitas exhibebat, sed volentes divites fieri incidunt in tentationem, & laqueum diaboli, & desideria multa & inutilia, quæ mergunt hominem in interitum & perditionem. Radix enim omnium malorum est pecuniarum cupiditas, id est, Philargyria; quam quidam appetentes erraverunt à fide, & inseruerunt se doloribus multis.*

Hucusque *Joan. Cassianus*: adducens quoque exemplum talis pecuniosi & idololatræ Monachi, qui repagulis timoris Domini, & simplicis obedientiæ insolenter effractis, protervo & truculento vultu sic suo responderat Abbati: *Si tu habes, unde plurimos sustentas, me similiter habere cur prohibes?* h. i. O infelix cupiditas, quæ tales generas, & foves nequitas!

CAPUT III.

De Cupiditate Religiosorum tepidorum ad habendum superflua &c.

Q. 1. Quid de paupertate amanda, cupiditate calcanda perfectione amanda. S. Columbanus in Regula sua docuerit c. 4.

R. Utilissimam hanc & fertilissimam doctrinam pro vitæ speculo dat Ic. dicens. Monachis, quibus pro Christo mundus crucifixus est, & ipsi mundo, cupiditas calcanda est: nimirum cum non solum superflua eos habere damnabile est, sed etiam velle: quorum non census, sed voluntas queritur: qui relinquentes omnia, & Christum Dominum cum timoris cruce quotidiani sequentes, in calis habent thesauros. Idcirco dum in calis multum sunt habituri, parvo & extremo necessitatis censu in terris debent esse contenti: scientes lepram esse cupiditatem Monachis, imitatoribus filiorum Prophetarum, ac discipulorum Christi proditorem, atque perditionem, Apostolorum quoque dubiis sectatoribus mortem. Sequitur:

Ideo ergo nuditas & facultatum contemptus prima perfectio est Monachorum: secunda verò purgatio vitiorum: tertia perfectissima Dei continuata dilectio, ac divinatorum jugis amor, qui terrenorum succedit oblivioni.

Quæ cum ita sint, paucis nobis opus est, juxta verbum Domini, aut etiam UNO; pauca namque sunt necessaria vera, sine quibus non transigitur,

N 5

ant

aut etiam UNO quasi cibo, juxta literam. &c. h. i.
 S. Gertrudis triennio ante mortem resignavit Abbatissæ Prælaturam, ut posset eò meliùs se ad mortem disponere: quam dum expectaret desiderabunda, velo & cilicio corpus tegens mori voluit, dicens: *Religiosa persona nec in vita, nec in morte quidquam superflui habere debet.*

Q. 2. An non saltem unum nummum, vel obolum liceat habere Monacho.

R. 1. Monachorum priscorum ratum adagium erat hoc, nec fallax: *Monachus habens obolum, non valet obolo; Ein Münch / der hat einres Hellsers werth / der ist nicht einen Heller werth.*

R. 2. S. Fruētusius in sua Regula c. 4. *Quòd si Monachus vel unum nummum alicubi malè abrenuntians reliquit, statim eum foras repelli mandamus; quia non eum in Apostolorum numero, sed Anania & Saphira sequacem videmus. Sciatis eum non posse in Monasterio in mensuram venire Monachi, neque ad paupertatem descendere Christi, neque humilitatem acquirere, neque obediens esse, neque ibidem perpetuò perdurare: sed cum aliqua occasio pro aliquo à suo Abbate Monasterii distringendi, aut emendandi accesserit, continuo in superbiam surgit, & acedia spiritu inflatus, Monasterium fugiens derelinquit.* h. i.

R. 3. Idem S. Fruētusius in Regula c. 18. arguens tepidos Monachos, repetentes facultatulas suas, & canum instat ad vomitum redeuntes, inquit: *Non sunt ipsi discipuli Christi: & non in Ecclesia sunt requirendi, sed in membris Antichristi inveniendi sunt: non sunt accola bonæ re promissionis.*

nis, nec veri Israelite, sed de longinquo advena profelisti; sed neque Fratribus fideles, neque in pugna inventi sunt fortes. Tales olim in Deuter. c. 20. Dominum cognoscimus detestatum fuisse, & in bello ne pergerent, prohibuisse. Si quis, inquit, corde pavidus est, non egrediatur ad bellum: vadat, & revertatur ad Domum suam; ne pavere faciat corda fratrum suorum, sicut & ipse timore perterritus est. De talibus in evangelio veritas ait Matth. 19. Quàm difficile est, qui pecunias habent, intrare in regnum cælorum. h. i.

R. 4. S. Pachomius in Regula sua §. 81. Nemo in domo & in cellula sua habeat præter ea, quæ in communi Monasterii lege præcepta sunt, non paucos nummos, non &c.

Q. 3. Quid de Monacho habente plura vestimenta, quàm egeat.

R. de illo S. Ferreolus in Regula sua c. 14. hæc statuit. Vestimenta supersufficientia Monachus non requirat: qui non amplius quàm quod ad quotidianum usum Abbas necessarium viderit, consequatur, dicente Domino ad discipulos Luc. 7. neque duas tunicas habeatis: quas duas tunicas intelligere debemus non numero NB. si propter hiemem necessaria esse videntur, sed supra usum, si reservata fuerint, computari: super ergò si quid fuerit, reputabitur alienum; dum, quidquid possessor avarus includit, magis utitur arca quàm Dominus. &c. Et c. 7. Nullius in congregatione murmur seu detractio, (quod familiarissimum habent Monachi) contra Abbatem, aut quemlibet alium de Fratribus audiatur; ne ira Dei, quæ sæpe ob hanc culpam

culpam

culpam miserabilem populum condemnavit, in perditionem similiter murmurantium turba excitetur. h. i.

Q. 4. Quid de sollicita nummorum coactione Monialibus inhibuerit B. *Alfredus* in Regula c. 66.

Resp. quòd sequentia. *Nescias te esse in hoc mundo, quæ ad illos, qui in calis sunt, & Deo vivunt, tuum a noxam transtulisti. Ubi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum. Matth. 6. Noli cum argenteis simulacris vili marsupio tuum includere animum, qui numquam cum nummorum pondere potuit transvolare ad calum. Putate quotidie morituram, & de crastino non cogitabis. Non te futuri temporis sterilitas terreat; non futura famis timor tuam mentem dejiciat; sed ex ipso tota fiducia tua pendeat, qui aves pascit, & lilia vestit. Ipse sit horreum tuum, ipse Apotheca, ipse marsupium, ipse divitiæ tuæ; ipse solus sit tibi omnia in omnibus &c. h. i.*

Q. 5. Quid de occulta acceptione, Monialibus inhibuit,

R. 1. S. *Cesarius* in Regula §. 28. hæc decernit. *Ante omnia coram Deo, & Angelis ejus obtestor, ut nulla de sororibus vinum occultè aut emat, aut undecumque transmissum accipiat: sed si transmissum fuerit, præsentè Abbatissa vel Præposita, posticaria accipiant, & Canavaria tradant &c. h. i.*

R. 2. S. *Aurelianus* Episc. in Regula §. 3. hæc decernit. *Nihil occulti accipiatis; sed si quis propinquus aut amicus aliquid in vestimento aut in auro, vel aliud quodcumque dederit aut transmiserit;*

forit; in potestate sit Abbatissa: Et si illi, cui transmittitur, necesse fuerit, tribuatur: si verò illa nihil indiget, in commune redactum, cui est necessarium, tribuatur. h. i.

CAPUT IV.

De proprio eliminando, quod dicitur meum, tuum, &c.

NOta. Religiosus professus est incapax proprii, id est, cujuscumque rei externæ tamquam propriæ possidendæ, utpote in quam nullum jus justitiæ habere potest. Attamen ex parte malitiosi affectus potest sibi rem aliquam ita adjudicare, assumere, de eaque disponere, ac si jus justitiæ in illam haberet: hocque gravissimum peccatum est in Religioso, contra S. paupertatis votum, si gravitas materiæ patiatur. Hancque proprietatem omnium Ordinum SS. Fundatores ut pestem summè detestati sunt, & à suis Monasteriis proscribere studiosissimè semper adnixi. Hæc proprietas si consummata sit, punitur gravi pœna à S. Concil. Trid. singulorumque Ordinum constitutionibus, scil. biennali privatione utriusque vocis; & si quis post mortem pecuniam secum malitiosè habuisse, vel abscondisse deprehensus fuerit, privatur à SS. Canon. ecclesiastica sepultura &c.

Q. 1. Quàm grave peccatum sit, si Religiosus sibi aliquid arroget ut proprium, vel ut peculia-
re.

R. 1. Ex

R. 1. Ex Regula Magistri in magno Regulario §. 17. ubi dicitur: *Nihil possidendum tamquam proprium, & specialiter inter Monachos; sed sint eis omnia communia: qui autem dixerit, meum est hoc, aut illud, peccavit coram Deo; nisi tantum per obreptionem sermonis. Sed pro hoc ipso tamen veniam à Deo petat, & caveat de reliquo, & ne iterare audeat. Si quis ex hoc vitio existat insanabilis, expellendus est ab universis fratribus: quoniam vitium philargyriae gravissimum est præ omnibus vitiis, & radix omnium malorum est philargyria. h. i.*

R. 2. S. Bonav. in c. 6. Regulæ: *Planum est his temporibus, summum facere tumultum in Ecclesia, nostrum & vestrum. h. i. Hugo Victor. in verba Regulæ S. August. Non dicatis aliquid proprium, sed sint vobis omnia communia, inquit: non enim debemus aliquid habere proprium, aut quidquam dicere meum, sed nostrum: omnia enim in communi debemus habere, & omnia communi nomine appellare. h. i.*

R. 3. Jam prò dolor! venit hora, de qua Christus prædixit in horto ante passionem suam: *Ecce jam hora venit, ut dispergami unusquisque in propria, & me solum relinquatis. Verè enim ita est, quòd, dum quis in claustro propria vult quætere, propria venari, sectari, ac propria communibus antepone, evidenter colligitur ex hoc, quòd grex sit dispersus, regnum in se divisum, & hinc desolationi proximum. Christi charitas &*

bene-

benedictio ibi exultat, ubi omnes, qua sua sunt, quarunt, non que Jesu Christi.

R. 4. Proprietarius est nocivus fuit in Monasterio. De quo S. Bonav. in Diata salutis, tit. 4. Religiosus debet insuper fugere & cavere proprietatem. Sicut enim vestertilio bibit oleum in Ecclesia, ubi laudant alii Deum : sic Religiosus proprietarius, instar vestertilionis, bibit & furatur bona Monasterii, ubi alii vacant laudibus, & Dei servitio; sicut Judas, qui solus inter Apostolos pecuniam furatus est. h. i.

R. 5. Cassianus l. 4. institut. renuntiant. c. 17. de antiquis Monachis sic ait: Ne verbo quidem audeat quis dicere aliquid suum; magnumque sit crimen, ex ore Monachi processisse, codicem meum, tabulas meas, graphium meum, tunicam meam, caligas meas. Proque hac digna pœnitentia satisfacturus sit, si casu aliquo per subreptionem, vel ignorantiam hujusmodi verbum ex ore ejus effluerit. h. i.

R. 6. Magister in Regula c. 82. sic jubet : Si quod ergo peculiare inventum in aliquo fuerit, grandieum Abbas & diuturna excommunicatione condemnet : ut exemplo illius vindicta, nullus hos audeat imitari. h. i.

R. 7. S. Leander in Regula Monialibus. præcipit. c. 18. Peculiare, quod in Cœnobiis pro magno habetur crimine, tu pro grandi vita contagione. Adulterium certè est; quia conscientia integritatem usurpata rei pravitate maculat. Furti crimen est : quoniam; dum omnia qua habentur in Monasterio, omnibus sunt communia, habere una
laton ter

latenter presumit quod à ceteris ignoratur, & a-
liò publicè cum omnibus utitur, aliud furtivè ab-
seondit. Fraus est manifesta; quia non reponit in
commune, quod possidet; sed exiguam parvitatem
privatim occultat fraude. Unum crimen, sed
multa contagia. Tanta nequitia malum velut ge-
henna evita precipitium; & quasi iter cave ducens
ad infernum. &c. h. i.

R. S. S. Isidorus in Regula c. 5. Monachi in com-
muni viventes nihil peculiare sibi facere audeant:
neque in suis cellulis quidquam, quod ad victum,
vel ad quamlibet rem alià pertineat, sine regulari
dispensatione habere vel possidere presumant. h. i.

Q. 2. An Religiosus peccet, si quidquam de-
perire sinat in Monasterio, dum damnum præve-
nire poterat.

Resp. affirm. Patet ex Regula Magistri §. 28, in
magno Regulario, ubi sic declaratur hæc obliga-
tio, seu potius prævaricatio. Si quis ex Fratribus
negligens inventus fuerit erga suppellectilè Mona-
sterii, hic reus sacri peculii judicandus est. Si quis
viderit, eaque in die adjuvari & corrigi prætere-
rit, hic tamquam neglector, & perversor sacra sub-
stantie judicandus est. Quoniã oportet unumquem-
que laborare, & considerantiùs agere erga substan-
tiam Monasterii, ac si ipse esset omnium Dominus,
& omnibus dominetur: & iterum per nimiam
humilitatem tamquam alienum se existimet,
& ut nihil præter quotidiana ex ea requirat paxi-
matia. h. i.

Q. 3. Quare divitiæ fugiendæ sunt exteriores.

R. Ex Regula Solitariorum c. 4. Illis, qui mili-
tando

tant Deo, fugienda sunt ex toto corde divitiæ; quas qui habere volunt, sine labore non querunt, sine difficultate non inveniunt, sine cura non servant, sine anxia delectatione non possident, sine gravi dolore non perdunt. — Ac sic census iste terrenus eis, à quibus vitiosè diligitur, non est voluptatum materia, sed dolorum. h. i.

CAPUT V.

De veris divitiis Religiosorum.

Q. 1. Quænam sint veræ divitiæ à Religioso a-
mandæ. R. 1. S. Gregorius: sola divitiæ veræ
sunt, quæ nos virtutibus divites faciunt. h. i.

R. 2. S. Prosper in Regula Solitariorum lc. ci-
tatus, sic respondet. Illæ nobis ambiendæ sunt divi-
tiæ quæ nos ornare possint pariter & munire; quæ
nos etiam contra impetus hostiles armant, à mun-
do disterminant, Deo commendant, ditant animos
nostros atque nobilitant: nobiscum sint, intra nos
sint. Divitiæ nostræ credendæ sunt pudicitia, justitia,
pietas, humilitas, mansuetudo, innocentia, puritas,
prudentia, temperantia, & super omnia charitas,
quæ nos facit Deo & hominibus caros, vitiorum impo-
tentes, sæculi contemptores, ac bonorum omnium
sectatores. Hæc sunt non omnium, sed Sanctorum
sola virtutes; non divitum superbiorum, sed humi-
lium pauperum facultates, patrimonia cordium,
divitiæ incorruptibiles morum, quibus non abun-
dant, nisi qui illis carnalibus ex corde renuntiant
h. i.

O

R. 3. Ex

R. 3. Ex eodem ibid. Bona externa quamvis sint bona utique à Deo creata; tamen quia sunt bonis malisque communia, studeat ea spirituales viri contemnere, quò possint ad illa incomparabiliter meliora, quae sunt bonorum omnium propria, pervenire. Quoniam non est tale bonum quod habent & mali, quale illud, quod non habent nisi boni. Corporale bonum quando habent iniqui, ipsorum est premium: quando habent iusti, non est ipsorum premium, sed temporale solatium. Item boni temporalis amissio fit exercitium iusti, & in iusti supplicium; quia & iustus desiderio caelestium captus, omnia temporalia sive habeat, sive amittat, omnino non sentit; & iniquus, qui cum delectatione habuit, sine dolore non perdit. h. i.

Q. 2. Quenam optima possessio Religiosi. R. Quòd Dominus Deus. De qua possessione sic Prosser ait cit. c. 6. Regul. Solitar. Quemcumque ergo possidendi delectat ambitio, Deum, quem colit, qui omnia possidet, expedita mente possideat; & in eo habebit, quaecumque sanctè desiderat. Sed quoniam nemo possidet Deum, nisi qui possidetur à Deo, fit ipse primitus Dei possessio, & efficitur ei Deus possessor & portio. Deinde quid ultra querit, cui omnia suus conditor sit? aut quid ei sufficit, cui ipse non sufficit? Quòd si quippiam aliud habuerit praeter Dominum, pars eius Dominus non erit, v. g. si aurum, si argentum, si possessiones, si variam suppellectilem; cum istis partibus Dominus pars eius fieri non dignatur. Si ergo, inquit Hieronymus, pars Domini sum (pars mea Dominus. Thren. 3. 24.) non accipio partem inter ceteras Tribus, sed quasi

quasi Levita & Sacerdos vivo de decimis, & altari deserviens, altaris oblatione sustentor, unde habens victum & vestimentum, his contentus ero, & nudam crucem nudus sequar. h. i.

Q. 3. In quibus consistat compendiata perfectio Monachi expropriati.

R. S. Columbanus in fine Regulæ suæ talem ab eo exigit. Monachus in monasterio vivat sub unius disciplina Patris consortioque multorum, ut ab alio discat humilitatem, ab alio patientiam: unus eum silentium, alter doceat mansuetudinem. Non faciat, quod vult; comedat, quod iubetur, habeat quantum acceperit, operis sui pensum persolvat, subjiciatur cui non vult, lassus ad stratum veniat, ambulansque dormitet, necdum expleto somno surgere compellatur. Passus injuriam taceat: Prepositum Monasterii timeat ut Deum, diligat ut parentem: credat sibi hoc salutare, quidquid ille preceperit: nec de majorum sententia judicet; cuius officium est obedire, & implere quæ jussa sunt, dicente Moysse: audi Israel. h. i.

Q. 4. Quid de iis, qui in officio constituti sibi provident privatim &c.

R. de illis S. Pachomius in epist. Monasteriorum Principes operati sunt iniquitatem in sportellis suis: gladius perditionis ipsorum sub axella eorum. h. i.

NB. Religiosi pecuniosi vocant pecuniam gladium suum; & hoc valde ineptè & perversè, si magis confidant in pecunia, quàm in Dei timore, regulari vita, bona conscientia, & filiali de Deo confidentia &c.

Q. 5. Quàm indecens sit , Religiosum frequenter loqui , cogitare , aut tractare de nummis.

R. 1. Id satis demonstrat *Sanctus Hieronymus* , *Epist. 13. ad Paulin.* dicens : *Monachum , quem senseris tibi aut semper , aut crebrò de nummis loquentem (exceptâ eleemosynâ , qua indifferenter omnibus patet) institorem habeto potius quàm Monachum. h. i.* *R. 2.* Turpe est Religioso , & valde ignominiosum , sedari pecunias , de quo *S. Bonav.* , in 16. *Luc.* *Qui volunt divites fieri , incidunt in tentationem , & in laqueum diaboli. (Tim. 6.)* quia ratione dilectionis terrenorum incrassatur & prae gravatur spiritus , ut non possit pervenire in sublimia regna caelorum. Propter quod dicitur : *facilius est , camelum per foramen acus transire , quàm divitem intrare in regnum caelorum , Matth. 19.* Hoc explicans *Beatus Marcus* dicit : *Filioli , quàm difficile est , confidentes in pecuniis in regnum Dei introire.*

h. i.



CAPUT

CAPUT VI.

De quorundam pietatis prætextu in reservatione peculiorum.

Q. I. An sit laudanda Religiosi illius intentio, qui pro peculio suo congregat multos nummos, sub hoc prætextu, & avaritiæ pallio, quod velit post mortem relinquere pro Monasterii aut Fratrum necessitatibus &c.

R. Quàm erronea & deceptoria sit hæc persuasio, docet *S. Orsiesius* in doctrina notab. inserta magno Regulario, ubi inquit: *Hoc quoque observandum est, ne quis stulta cogitatione deceptus, immo diaboli laqueis irretitus dicat in corde suo: quando moriar, tunc dono Fratribus, quod habuero. O stultissime hominum! ubi hoc scriptum invenisti? nonne omnes Sancti servientes Deo statim omnem seculi sarcinam deposuerunt? nonne in actibus Apostolorum omnia quæ habebant, ad pedes Apostolorum deferebant? aut quomodo mortuus vis justitia induere vestimentum, qui illud vivus habere non meruisti? quare oblitus es, quod scriptum est: quod seminaverit homo, hoc & metet? Gal. 6. Thesaurizat, & ignorat, cui congregat ea, Ps. 36. Stulte, hac nocte animam repetent à te: quæ autem præparasti, cujus erunt? Luc. 12. Pharisei autem cum essent avari, hæc audiebant & irridebant: quorum incredulitatem devitemus, nec irrideamus eos, qui nos provocant. Renuntiemus mundo, ut perfecti perfectum sequamur thesaurum.*

O 3

Quorum

Quorum animam possidet avaritia, his videtur pro Christo stulta paupertas. h. i.

Q. 2. Quid sentiendum de Monialibus illis (quæ in hoc peculiaritatis vitio subinde sat notabiles inveniuntur & culpabiles: & utinam agnoscerent, quàm foedè pice agglutinatæ adhæreant inordinato amor!) dum omnino præexcipiunt sibi ante professionem vitalitium censum annum, non pro necessariis vestimentis (id enim tamquam non reprehensibile transiret, si aliunde vestimenta, aliaque necessaria non essent suppeditanda) sed tantum, ut aliquid habeant, ac in hoc non sint ceteris conditione deteriores: & ut jus aliquod sibi arrogent, inde dandi pauperibus eleemosynam, aut curandi legi subinde sacra ad suam liberam dispositionem &c. erogandi inde munuscula, xenia &c.

R. 1. Licet ego non quòad omnia talem consuetudinem reprobare audeam, attamen nec semper in omnibus tamquam optimam approbare. Hoc saltem indubitatum credo verum, quòd ibi nec perfecta renunciatio, sæculique abdicatio sit, & perfectionis majoris adipiscendæ securitas, quanta est in Ordinibus, in quibus est exacta vitæ communitas, & nemo talia peculiariter sibi privatim ante professionem reservare.

R. 2. Ex Regula S. *Alredi*, c. 42. *Ubi obviat objectioni monialium talium, pro pauperibus inordinate sollicitarum, & dicit: Claustralibus (privatis) nulla debet esse pro pauperibus sollicitudo, nulla pro hospitibus suscipiendis distensio: quippe quibus nulla debet esse de crastino cura: nulla sibi vel po-*
tius

tus providentia: nutriantur potius in croceis, id est, spiritalibus pascantur &c. h. i.

R. 3. Quod autem aliqua prætendant, non posse non esse opus Deo maximè placens, si ex reservatis nummis subinde curent sacrificium Missæ pro se, aut suis defunctis parentibus, vel amicis applicari &c. His dico ego ex doctrina sanius sentientium Ascetarum (quos illæ tutò sequi possunt) fore Deo gratius sacrificium, si hæc sensuali peculiaritate se exuant, & tale jus qualecumque sibi nullum retineant: interim offerentes predictis necessitatibus omnia sacrificia, quæ in toto mundo fiunt, & maximè illa, quæ indies audiunt; aut subinde petendo sacrum à Sacerdote, qui in sua potestate habet sua sacra applicandi &c. bonam voluntatè Deo offerendo, Christo uniendo. Hoc scio, id ipsumque plurimum laudo, & approbo, quòd in Monialium reformatis, aut reformatione necdum egentibus Monasteriis tales peculiaritates, aut partiales reservationes minimè tolerentur numquam acceptentur; ut ita aditus laxitatibus præcludatur.

R. 4. Religiosi Sacerdotes etiam non conquirentur, nec indignentur, si fortè rarò in ipsorum Ordine ipsis sacrum liberum relinquatur. Nam indubitatum est, quòd fructus Missæ specialissimus semper maneat Sacerdoti, quantumvis conductus stipendio Sacrum legat pro alio. Et licèt hunc fructum non possit totaliter alteri applicare (se omnino privando) potest tamen secundùm partem. **Consule de hoc RR, PP, Discalceatos**

Carmelitas, quos audiui numquam habere facrum liberum.

R. 5. Quod concernit dationem eleemosynarum; certum est, quod sit gratior Deo eleemosyna, continuò in Dei memoria permanens viva, si quis omnem libertatem disponendi de rebus terrenis semel plenè abdicet non reassumendam: unde perfectius est, ex tam nobili motivo heroicè se privare omni facultate dandi eleemosynam, quàm peculium, etiam licitum retinere, unde eam dare possit. Proinde optimè scripsit *S. Hieron.* in epist. ad quemdam virum hospitem (citur à *S. Bonav.* in opusc. de paupertate Christi) *Multas à te per insulas Dalmatia, Sanctorum numerus sustentatur: sed melius faceres, si & ipse Sanctus inter Sanctos viveres. Ergo melius est de eleemosynis vivere, quàm & eleemosynas dare. Vide S. Bonav.* lc. Et laudabilius est, non habere post resignationem voluntariam, unde possit indigentibus præbere, quàm aliquid pro dando ipsis retinere. Qui sic expeditus est ab omnibus, cor charitate plenum recipit & retinet, quò plus potest omnibus in mundo, & in purgatorio, justis & injustis, amicis & inimicis benefacere, quàm si omnes mundi thesauros habendo retinuisset. *Bona voluntas charitate ditata, optimus est nummus, valoris divini coram illo, qui non curat nummorum temporalium regias imagines, aut inscriptiones, aut materiam, aut formam.*

R. 6. Quantum ad erogationem munusculorum, aut largitionem xeniorum; certifico *Moriales* omnes, quod plus placiturae sunt *Clementi*

VIII.

VIII. Urbano VIII. (qui tales largitiones restrinxerunt &c.) Immo Sacerdoti summo Sponso suo Jesu Christo, si privata à talibus abstineant, maximè si fiat solius familiaritatis contrahendæ causa, & sine debita licentia. *Ratio est;* quia generat amorem non sanctum, cogitationes & occupationes inutiles, dividit cor, distrahit mentem, obscurat S. paupertatem, impeditque orationis attentionem; sileo alias consequentias non bonas.

Q. 3. An, si religiosus privatus accipiat oblatam à secularibus pecuniam, v. g. pro imprimendo utili libro ad bonum commune, vel pro Ecclesiæ ornatu, aut Sacristiæ necessitate, Monasterii egentia, &c. Philargyriæ vitium aut periculum intercurrat.

R. Quòd, ceteris paribus, in hoc nullum peccati periculum intervenire possit; dummodo fiat cum debita licentia, & dependentia à Superioribus suis, & aliunde non sit specialis inhibitio, &c. *Ratio est;* quia hoc est fructificare communi bono, & divino honori; proinde vitium aut nota philargyriæ hinc nullatenus intervenit.

Q. 4. Qualiter, præscindendo à jam dicto casu, pecunia oblata in monasterio sit legitimè distribuenda.

R. De hoc singuli Ordines habent, dubio procul, sua statuta, aut consuetudines piæ. *S. Isidorus* in sua Regula c. 18. ponit hanc normam: *Omne, quod in Monasterium in nummo ingreditur, sub testimonio Seniorum accipiendum. Eadem pecunia in tribus partibus dividenda est; qua-*

rum una erit pro infirmis & senibus, & pro aliquo coëmendo in diebus sanctis cultius ad victum fraternum: alia pro egenis: tertia pro vestimentis fratrum & puerorum, vel quibusve ad necessitatem monasterii coëmendis. Quatres partes Custos Sacrarii suscipiat, ac, precipiente Abbate, sub testimonio Prepositi vel Seniorum de singulis partibus pro suis necessariis causis expendat. h. d.

CAPUT VII.

De pœnis proprietariorum, divinò judiciò illis immixtis, &c.

REcensebo hïc, quæ ex certis historiis collegi, exempla sat horrenda; quibus Religiosi proprietarii terreantur; paupertatis verò Deo placitæ amatores in bono proposito solidius confirmantur. Proprietarii ponuntur in vili prædicamento ab Authore l. 2. imit. c. 32. §. I. ubi inquit: *Compediti sunt omnes proprietarii, & sui ipsius amatores, cupidi, curiosi, gyrovagi, quærentes semper mollia, non quæ Jesu Christi; sed hoc sepe fingentes, & componentes, quod non stabit.* h. i.

Primitus morte subitanea à Deo puniti ex primis Christianis *Ananias, & Saphiras* ob votum paupertatis violatum, Act. 5. de quo ait S. Scriptura: *Et factus est timor magnus in universa Ecclesia, & in omnes, qui audierunt hæc.* h. i.

I. Libro 6. revelat S. Birgitta c. 35. Christus ostendit huic dilectæ Sponsæ suæ animam alicujus

jus

ius religiosi ad pœnas inferni damnatam, quam diaboli novem novem juribus possidebant, novemque diversis atrocissimis suppliciis æternaliter cruciandam ob 9. specialia peccata in suam potestatem accipiebant. De qua *sextus Dæmon* scil. *proprietatis*, hæc dicebat: Ipse debuit esse pauper in mundo, & nihil proprium habere; sed ipse è contra quasi formica, quæ habere poterat, congregabat. Cui princeps dæmonum dixit: intra eum, & vexa eum cum amaritudine, & fac eum carere omnibus delectabilibus, quæ desiderabat; & pro eis confusionem inenarrabilem, & damnationem indicibilem, & pudorem perpetuum habeat. --- *Septimus autem dæmon*, scil. *Religionis contemptus*, dicebat: ipsa ex regulari disciplina obligabatur ad servandum in omnibus actibus suis constituta tempora; sed è contra, quia omnia inordinata habuit: bibebat enim, & comedebat, quando volebat, dormiebat, & vigilabat, & loquebatur, quando sibi placebat, & omnia absque regulari disciplina agebat; & ideo mea est. Cui princeps dæmonum: quia omnia tempora sua inordinata habuit, ideo unum tempus adveniet ei, quod nunquam terminabitur, in quibus frigus & ardorem patietur sine fine. *h. i.*

II. Hæc novem specialia peccata cum vitio proprietatis in eodem sibi subjecto conjuncta ibidem recensentur, & sunt hæc: I. Superbendo præfert se ceteris, ostendendo se professorem virtutum, cum sit vitiis plenus. II. Desiderat illa, quæ videt, necessariis non contentus. III.

In

In his obedit, quæ eum delectant: ea verò, quæ non delectant, aut facit invitus, aut quærit occasionem fugiendi. iv. Delectatur intemperantia, socius illorum, de quibus dicitur: *quorum Deus venter est.* v. Quærit laudari ab omnibus, & non à Deo: ideo prædicat sublimia, cantat altifona, singularia operatur. vi. Gloriat in superfluis, & habitu peregrino, cuius proprium deberet esse ipsa vera paupertas. vii. Nulla servat tempora; sed regit se secundum flatum carnis suæ. viii. Impudicè & frontosè accedit ad altare meum sacrificans, & absolvens alios, ipse vinculo dignus, & reprehensione. ix. Indignè portat signum gloriæ in capite suo, confœderatus hosti meo: fuit Sacerdos, & non ut Sacerdos vixit; ideo pars mea in ea est, aiebat diabolus. Respondit princeps dæmonum: pro honorifico nomine Sacerdotis mutetur sibi nomen, & vocetur sathan. Pro corona gloriæ, quam contempsit habere, ponatur ibi maledictionis opprobrium, & dejectio sempiterna. *h. i.*

III. De Religiosis proprietariis, deditisque aliis vitiis dicit ibidem Christus ad *S. Birgittam*: *Ego iuro in veritate mea, quòd si non fecissem propter duo bona: propter quæ sustineo eos, non una domus eorum staret erecta. Primum est Matris meæ oratio, quæ cum Patrono eorum incessanter orat. Secundum est iustitia meæ; quia quamvis propter malitiam eorum non teneor eis aliquam misericordiam facere; attamen propter dona offerentiam, quæ placent mihi, patior eos: ipsi enim sunt quasi instrumenta, quibus alii proficiunt.*

ciunt. Ex eorum nempe prädicatione, & cantu quandoque alii crescunt ad devotionem, & occasionem bene proficiendi; sed se ipsos in profundum dejiciunt; quia serviunt quasi servi ad lucrum non aternitatis. Verè servi sunt, & paucissimi inveniuntur alii, & tam pauci, quòd vix unus reperitur in centum. NB. h. i.

IV. S. Hieron. epist. 23. recenset iudicium Monachorum super Monacho proprietario mortuo in proprietate, his verbis. *Quid ante non plures annos Nitria gestum sit, referemus. Quidam ex fratribus parcior magis quàm avarior, centum solidos, quos lina texendo acquisiverat, moriens dereliquit. Initum est inter Monachos concilium, (nam in eodem loco circiter quinque millia divisis cellulis habitabant,) quid factò opus esset: alii pauperibus distribuendos; Macarius verò & Pambo, & Isidorus, & ceteri, quos Patres vocant, Sancto in eis loquente Spiritu, decreverunt, infodiendos esse cum eodem, dicendo: Pecunia tua tecum sit in perditionem. h. i. Narratur de S. Gregorio, quòd par iudicium exercuerit supra mortuum Monachum proprietarium. *Horresce, time & cave.**

NB. Simile horribile exemplum narrat S. Augustin. de Januario Monacho, qui quamvis haberetur ab aliis sanctus, tamen quia clanculum agros & vineas possedit, de iisque testamentum fecit, malèque vixit, & malè obiit, sepultus est, pecuniâ cum ipso colligatâ, cum hac damnaibili cærimonia: *Pecunia tua sit tecum in perditionem.*

Cesa

Cesarius l. 9. dial. c. 64. narrat de quodam Religioso ex Ordine suo lethaliter infirmo, & proprietario, qui sacrum viaticum ore sumptum deglutire nequivit. Apud eum in damnabili proprietate mortuum invenerunt 5. solidos æreos, quos cum ipso in agro sepelierunt, dicentes: Pecunia tua, quam, clam nobis, contra professionem tuam possedisti, tecum sit in perditionem.

V. Proprietarius Monachus laceratur à dæmone; De quo in collationibus PP. *Quidam Frater renuntians seculo, & dans, quæ habebat, pauperibus, retinens autem pauca ad opus suum, venit ad Abbatem Antonium. Quem cum agnovisset Senex, dixit illi: si vis Monachus fieri, vade in illum vicum, & eme carnes, & impone corpori tuo nudo, & sic veni huc. Et cum ille sic fecisset, aves lacerabant carnes & corpus ejus. Cum autem pervenisset ad Senem, interrogavit, si fecisset, quæ dixerat ei; ille autem ostendit corpus suum laceratum. Tunc dixit S. Antonius: qui renuntiant seculo, & volunt habere divitias, ecce ita impugnantur, & à demonibus discerpuntur. h.i.*

VI. In collationibus Patrum quidam Monachus, quicquid de labore ad victum supererat, secundum morem aliorum Monachorum, in eleëmofynam indigentioribus expendebat. At post misit satanas in cor ejus, dicens: collige tibi aliquam pecuniam, ne, cum senueris, aut ægrotare cœperis, aliquo indigeas. Et col-
legit,

legit, ac implevit unam lagenam nummis. Post hæc infirmatur, & putrescit pes ejus: & totam collectam pecuniam impendit in medicos & chirurgos; at nil juvat eum. Venit expertior medicus dicens, nisi curaveris pedem incidi, totum corpus putrescet. Resolvit se ad patiendum horribilem pedis incisionem. Illa autem nocte rediens in semetipsum, & pœnitentiam agens de his quæ gessit, ingemuit & flevit dicens: memor esto Domine operum meorum priorum, quæ faciebam, cum laborarem in horto, ex quo pauperibus ministrabam. Et cum fletet, astitit ei Angelus Domini, & dixit ei: Ubi sunt nummi, quos collegisti? & ubi est spes, de qua tractasti? at ille respondens ait: peccavi Domine, & ignosce mihi; ulterius hoc non faciam. Tunc Angelus tetigit pedem ejus, & statim sanatus est, & surgens manè abiit operari in agro.

En! nimia anxietas, & sollicitudo in Monacho pro crastino, pro senio, &c. non tantum displicet Deo, sed etiam punitur ab ipso tali temporali flagello. Potens est utique Deus etiam sine tuis corrasis nummulis te sanum ac robustum conservare, te infirmum sanare, ab infirmitate etiam præservare, in egentia sustentare, medici, medicamentorumque defectum per ministeria quoque Angelorum, si deessent homines, supplere; dummodo fidem ei servaveris in observantia votorum tuorum.

VII. In *Chron. Minorum* legitur, quòd Frater quidam laicus, volens contra inhibitionem

Re-

Regulæ suæ, literas discere, furtivè sibi provi-
derit de Psalterio: correptus de hoc, noluit ex-
tradere, sed in hac sua insolenti superbia, dura
cervice, ac horrida proprietate insorduit usque
ad infelicem mortem; antequam seriò admo-
nitus de extradendo Psalterio, contempsit, &
in hac proprietate infelicem animam efflavit.
Illa nocte cum horribili fragore & specie fratri-
bus ad matutinas Laudes concurrentibus appa-
ruit, suamque damnationem, & ejus causam a-
peruit: à quibus ad inferni pœnas remissus, æter-
nalibus pœnis numquam expiabit grande pro-
prietatis hoc piaculum.

VIII. In *Annalibus Cartusianorum*. Mona-
chus quidam, necdum evoluto tyrocinio, re-
diens de nocte ex matutinis Laudibus, tædio mo-
nasticæ seu solitariæ vitæ affectus, parabat exi-
tum per cœmeterium: at (Deo providè revocante)
videt omnes inibi sepultos de sepulchris re-
surgentes, in corpore, specie visibili se sisten-
tes, ac in candido Cartusiensium habitu sibi ap-
parentes; qui omnes hac voce alloquebantur
eum: quò properas miser? visne sanctitatis lo-
cum deserere, arctamque ad cælum viam cum
via perditionis commutare? Nos omnes in hoc
pœnitentiæ loco beatitudinem æternam lucrati,
& consecuti sumus, excepto uno Fratre laico
(ipsi vocant *Donatos*.) qui propter peccatum
proprietatis ad inferni pœnas damnatus est. Hoc
terribili exemplo concussi Cartusiani, in ob-
servantia voti paupertatis sunt punctualissimi:
& ad

& ad rigidam tenentur expropriationem faciendam, maximè circa tempus Paschale in cœna Domini, quando Judas primus nequam fur proprietarius de sacro peculio Dominico & Apostolico, Dominum suum & prodidit, & vendidit. Ad quam expropriationem eodem tempore articulatum faciendam quoad singula, obligantur etiam alii Religiosi aliorum Ordinum, quantum novi (nisi fortè essent omnino deformati, vel è contra pauperrimi.)

Ex eodem Ordine refert *Dionys. Cartus.* quòd quidam Religiosus alioquin timoratus vestem suam refecerit frustulo panni ex vestiario sine venia accepti. At, dum is in morbum incidisset, & magnam mentis & vultus hilaritatem ostendisset, hanc inturbavit dæmon, instar simiæ huic frustulo insidens, illud lambens, & valde in eo sibi complacens. Ille horrore nimio perterritus, recognoscens, se hoc segmentum sine venia Prioris accepisse, Superiorem ilico advocat, culpam confitetur, cum illo se reconciliat; & statim inde se dæmon subduxit. *Audite proprietarii! Deus non irridetur: reddite vota vestra Deo; nam etiam minimas ejus transgressiones in metuendo suo judicio strictè dijudicat Deus, immo & exactè adnotat diabolus.*

IX. *Gloriosus Franciscus Xaverius* (ut habetur in *Theatro R. F. 167.*) socium quemdam multavit exilio, in quo deprehendit proprietatis umbram. *Narrat Picinell. Idem narrat alium Monachum proprietarium unguibus vul-*

P turum,

turum, & dentibus canum dilaniatum in pœnam sui peccati.

Alius infœrtunatus Monachus (ut testis est *D. Hieron.*) hujus culpæ ergo, dæmonum tormentis subditus fuit. *Picinell. qui idem refert*, quòd

Albertus Magnus, ex præscripto sacr. Canon. quemdam ex suis Religiosis, ut vocant, *Conversum*, hujus delicti convictum rursus exhumatum Ecclesiastica privavit sepultura.

Ex eodem Ordine cum *S. memoria Fr. Reginaldus* Bononiæ Priorem ageret, laicus quidam aliquod panni ejus, quo ipsi utuntur, frustum eleëmofynæ nomine, sine venia Prioris acceperat, ut hœc suam vestem reficeret. Hunc ergo propterea Vir sanctus ad Capitulum vocat, & coram omnibus Religiosis, in eum ceu furem & proprietarium tam verbis asperis, quàm dura verberatione animadvertit: & pannum illum eo in loco, tum ipso, tum reliquis fratribus inspectantibus, flammæ injecit. En! quàm rigidè puniunt proprietarios, etiam in minutis (ut fortè alicui videri posset) Sancti Zelatores religiosæ paupertatis!

X. Constitutiones Canon. Regular. p. 2. c. 41. præcipiunt, *ut proprietarius tamquam voti transgressor acriter puniatur*. Idem quoque præcipiunt aliorum particularium Ordinum Constitutiones.

XI. Statum periculosum cùjusdam Abbatis-
sæ proprietariæ, ac deliciosæ repre hendit Chri-
stus, loquens *S. Birgitta* l. 6. revelat. c. 98. his
Verbis:

verbis: *Illā N. Abbatissa est de vaccis pinguibus, vadens in coeno, & cauda sua lutosa aspergit circumstantes: sic ipsa spargit sororibus exemplo suo pravo. Cujus vestimentorum ruga perhibent testimonium, quod non est Filia Beati Benedicti mei, nec est sponsa humilis, quia immemor est sponsionis suae. Nam Regula sua dicit, habere vestem, quae rudior & vilior invenitur; & illa habet molliorem, pulchriorem, & delectabiliorem. Regula etiam praecipit comedere necessaria cum parcitate, & timore, nihilque habere proprium; sed ista habens proprium, impinguat se sicut vacca diaboli, sequendo propriam voluntatem. Regula etiam dicit, quod omnia sint in manu Abbatissae, non attendens intentionem Beati Benedicti mei, qui ideo omnia posuit in manu Abbatis, ut Abbas esset discretus, & exemplum virtutum, & Regulae praecipuus imitator. Sed ista recipit nomen, & verbum potestatis ad dissolutionem suam, non attendens, quod de omnibus animabus sororum suarum redditura est mihi rationem. NB. Propterea scias, quod, nisi correxerit mores suos & sororum suarum, vadet cum vaccis pinguibus in infernum, & laniabunt eam corvi inferni, quia noluit cum humilibus & abstinentibus evolare in celum. h. i.*

XII. Prædicta Abbatissa mortua dirum sustinuit purgatorium; quod narratur lc. in revelat. S. Birgitta his verbis: *Hæc Abbatissa mortua apparuit B. Birgitta aliquantulum alba, sed quasi reti ferreo circumtexta; cujus lingua videbatur*

igneae, manus & pedes plumbei, oculi ex toto lacrymosi; & dixit: miraris de me, cur sic appareo deiformis? hac est retributio justitiae Dei. Nam quod alba videor, id est, quia virginitatem carnis habui. Sed rete ferreum denotat, quod regulares observantias, & patientiae bonum non servavi. Sicut enim in reti multa anse combinantur, sic ego pro multis operibus bonis omissis multa pati teneor; quia bona opera, cum tempus habui, non exercebam.

Quod verò lingua mea appareat ignea, dignum est, quia ipsa contra professionem meam in multis vanitatibus & scurrilitatibus solvebatur. Manus verò meae, & pedes apparent plumbei, & merito, quia opera mea, quae designantur in manibus, quae fuisse debuerant fulgentia quasi aurum, fuerunt mollia & dissoluta ut plumbum. Pedes quoque mei, quibus ad sorores meas bonis exemplis, & conversatione munda vivere instituebar, lubricaverunt in mundialibus, & desideres erant ad omne spiritale bonum. Oculi mei apparent tibi, sicut illius, qui nimium habet fletum; & merito, quia peperci eis à fletu, cum potui diluisse, & debuissim omnes negligentias vitae meae. Verumtamen in statu misericordiae sum, & expectatione bonae spei, propter illa, quae fiunt in Ecclesia Dei, & propter preces Sanctorum, & Sanguinem Christi. h. i.

S. Canon (de quo J. Nadasus 28. Martii) S. Basilii discipulus Religiosum quemdam ad mentem revocavit, dum ob pecuniam ab illo congestam,

gestam, vidit dæmonem serpentis instar, illius gutturi circumdatum. *h. i.*

7. *Nigronius* narrat in Monasterio Gigniacensi Monachum contra paupertatis rigorem, micas ex mensa collectas non curasse, sed siviisse perire. Cui moribundo astitit dæmon, qui exactè hanc in eo malam consuetudinem notârât, ut eum in desperationem induceret, plenum saccum talibus micis ostendit. Quod obtinisset, nisi preces vehementes Fratrum obtulissent.

S. Odo Cluniac. refert l. 3. collat. c. 21. Monachæ morienti dæmonem apparuisse, illiusque conscientiam nimio terrore constrinxisse, eò quòd acum haberet sine licentia. Illâ ergo in commune delatâ non recedebat dæmon. Illa plûs anxia meminit etiam se adhuc filum sericum ad spondam habere sine licentia: quò in commune relatò, recessit malignus.

Meritò dixit itaque *S. P. N. Franciscus*, *nolle de nobis diabolum plûs, quàm tenuissimum capillum: ex illo enim cogitatum chamum ingentem, validumque ad nostras constringendas animas, sibi que vindicandas conficere.*

* * *
* * *

P 3

CA-

CAPUT VIII.

De Peculiorum reservatione, usu, & abusu.

Quæres, An liceat quibuslibet Regularibus, vi primævæ institutionis suorum Ordinum reservate peculium pro suis particularibus privatis usibus. Ante responsionem

N. 1. Ex P. Marchant. H. Casal. Bartoluc. & aliis, quòd *peculium sit qualibet res temporalis, pretio aestimabilis, seorsim à rebus communibus separata, ac privatis usibus deserviens.* Quod si apud communem depositarium Conventus sit depositum ad conservandum dicto fine, vocatur *Depositum Regularis* (non sumitur hìc depositum in acceptione Juristarum). Unde *peculium, & depositum* habent se, sicut termini magis & minus communes. H. Casal. Hoc peculium consistit in remobili, vel immobili, eleëmofyna certa certis temporibus à certo accipienda, vel in redditu temporario annuo perpetuo, vel vitalitio percipiendo à monasterio, aut ejus Officialibus levando in subsidium privati Religiosi; vel in pecunia, lana, tritico, pecore &c. vel &c. (nisi id aliunde vetitum sit).

N. 2. Hoc peculium est duplex, *Primum profectitium*, cujus solùm habetur utilitas quoad fructum, vel usum, at dominium est penes alterum, penes patrem, avum, patruum &c. *Aliud adven-*

adventitium, in quod quis habet dominium saltem radicale; licet ususfructus sit pones alterum, v.gr. parentem &c. Peculium quod Religioso competere potest, non est nisi profectitium, ut patet ex terminis. Estque hæc generalis Regula ex *H. Casal*, quodd in Religioso particulari nequeat reperiri peculium, quod teneatur titulô dominii, possessionis juridicæ, usus-fructus, administrationis independentis, vel usus-juris; quia omnia ista concludunt quamdam proprietatem. Hinc peculium Religiosorum (si tamen illis licitum sit,) nequit haberi, nisi titulô simplicis administrationis, & à nutu Superioris continuo dependentis, si is fuerit Officialis; vel titulô usus-facti solius, si privatus alius Religiosus sit. *N.B.* (loquor de solemniter professis.)

N. 3. Ex cit. *AA.* & aliis, quodd triplex possit distingui Religiosorum *Peculium*. *Primum*, si quis apud se, vel apud alios quidpiam eo animo detineret, aut sibi reservaret (licet ad solum usum determinatum vel non determinatum) ut plena auctoritate, & independenter à Superioris licentia de eo disponat. Vel cum sic occultat, ut liberæ Superioris dispositioni illud subducat, aut, si id manifestet, ei tamen renuntiare non sit paratus. Et hoc continet gravem proprietatem, ideoque numquam licebit. Et ita sumitur subinde in *SS. Canon.* per quos Monachus relinquens post mortem peculium, sacra sepultura privatur.

Secundum genus peculii, quando quis Religiosus ex licentia Prælati pecuniam vel aliam rem

habet sepositam à massa communi, ut ad usus quoslibet indeterminatos pro re nata applicet. Vel quando generalem habet licentiam aliquid sibi licitè comparandi, unde suis necessitatibus provideat: aut ut usum-fructuum, usum, vel administrationem alicujus rei mobilis (non autem immobilis) in usus licitos habeat, quatenus de ea re pro libitu suo disponat, usque ad revocationem totalem vel partialem Superioris. De hoc ait *Bartoluc. noster*, quod, licet non contrarietur essentia voti paupertatis, cum nullum dicat jus, tamen, quia Concil. Trid. id prohibet, & Clemens VIII. illicitum declaravit eò, *quia novo decreto prohibitum*, tum quantum ad culpam, tum etiam quantum ad pœnam; etiam tale peculium paupertati regulari repugnare videatur: & ideo (*nisi per Summum Pontificem id Regulari concedatur,*) semper illicitè & cum scrupulo ab eodem detineatur, ut ait *cit. Bartoluc.* NB. Hæc ultima parenthesis potest favere illis Religionibus, in quibus ab altis Summis Pontificibus indultum est, ut formam perfectam ærarii cum tribus clavibus &c. prout in Decreto S. Congreg. Visitat. Apost. inserto Constit. Urbanis plenius exprimitur, habere queant, cui pecunia Conventus, non tantum communis administrationibus, sed etiam particularium Fratrum eleëmofynarum inferatur, pro sublevandis eorum particularibus quibuscumque necessitatibus, cum speciali prævia adnotatione in libro deputato, *quis, quid, quantum, quando &c.* sive dum imponitur, sive dum extrahitur, &c.

Tertium genus peculii est, quando aliqua pecuniae summa separatim detinetur, ut exinde suis determinatis particularibus necessitatibus provideatur, v. g. ad comparandam tunicam, libros coëmendos, vel alia necessaria simpliciter, aut secundum quid, quæ à Monasterio non supeditantur: vel certè quando Religiosus habet usum alicujus rei determinatæ ad talem vel talem particularem effectum (extra communem consuetam distributionem) Statui regulari non repugnantem. Hoc peculium, si vestiatur quibusdam conditionibus (ultra Superioris licentiam requisitam, & præsuppositum interpretativè consensum Summi Pontificis) in certis casibus certorum Monasteriorum Religiosis poterit permitti; prout infra. Sed

N. 4. Nomine peculii hoc tertio modo sumti non veniunt illa, quæ propter quotidianam & continuò durantem necessitatem Religiosis singulis indiscriminatim ex communi penu, cellario, & vestiario conceduntur. v. g. tunica, pileus, calcei, panis, vinum usuale, calami, atramentum, charta, conservæ vel præservativæ in initio jejunii ab Abbate singulis Religiosis ad aliqualem confortationem, & recreationem datæ, & in cellis conservandæ permissæ &c. Nam hæc minimè debent vocari peculium, cum spectent ad communem massam, ex qua extractæ quidem, & applicatæ, neutiquam tamen abstractæ, nec peculiaritatis nomine intitulandæ.

N. 5. Ex *Dionys. Carthus. l. de reform. claustral. a. 8.* quòd Religiosi votis solennibus, vel

P. 5

quasi

quasi solennibus adstricti sint triplicis differentia. Nam *primi* sunt de stricta observantia, qui peculium nec habent, nec volunt habere, sciunt quippe se licenter non posse habere; neq; eis ullo modo permittitur à Superiore, nec à Regula, nec ab Ordinis particularibus constitutionibus. *Secundi* sunt penitus deformati, lapsi, & obtenebrati, qui de proprietate conscientiam sibi non faciunt, sed propria habent, aut arrogant, vel malitiosè sibi appropriant (licèt interim proprietatis habendæ capaces non sint) habere plus cupiunt, & licèt se habere confingunt, quia oppositum scire & audire contemnunt, aut certè non curant. *Tertii* mediò modò se habere videntur; qui habentes peculium, de proprietatis vitio se excusant, dicentes, se habere non propria, sed appropriata, utpote quia de licentia justa & rationabili Superioris talia se habere, atque ad resignandum, juxta ejusdem legitimum mandatum se paratos asserunt. Hos tertios dicta legitima licentia, & bona conscientia, & justa necessitas excusat; prout infra, quavis nec de his, minùs de aliis, intrepidè id indefinitè asserere audeat *Dionys. Carthuf.* dicens generatim lc. *Quod habere peculium sit Religiosis illicitum. Et sancta Religioni vehementer contrarium, immo Religiosi status atque monastice vite lamentabiliter destructivum, Et contra sanctissimorum PP. qui Ordines instituerunt, intentionem, doctrinam, Et prohibitionem.* Hæc ille quidem, cui tamen per omnia non assentior; licèt hoc experientia convincat, quòd peculium non debitis conditionibus circumvallatum sit vitæ religiosæ pede-

pedetentim relaxativum. Utinam hoc verum non esset ! Interim *secundum tempora, & mores sunt saepe temperandi rigores.*

N. 6. Bene intelligenda esse hæc duo ; scil. 1. quòd aliquid *per se* non liceat, 2. quòd aliquid *per accidens* licitum fiat. E. G. *per se*, & supposita rerum legitima divisione, non licet mihi tollere rem proximi usu consumptibilem v. g. panem &c. eumque consumere. Nec *per se* licitum est clericis, ac Monachis, seu Religiosis, propter varias SS. Canonum inhibitiones, hæc & illa facere; quæ tamen *per accidens*, scil. ob maximam necessitatem vel inopiam licent; in qua & mihi licet panem, invito Domino accipere, & consumere, quo ipso, rem alienam, jure poli facio mihi propriam per actualem usum in succurrendo maximæ vel extremæ meæ necessitati. *Hi duo distinctivi termini servient materia præsentis.*

N. 7. *Vivere in communi* (Ad quòd conatur modernus SSmus D. N. Innocentius XII. ex generali & speciali cura erga oves sibi creditas, indefesso studio, paterna sollicitudine, ingentique labore, ac vehementi conatu in- & adducere omnes Religiosos, ex causa multiplici) contingit variis modis; inter quos unus altero nobilior, excellentior, melior. v. g. 1. *Alique communitates Religiosorum habent in communi solùm commune claustrum, sepulchrum, dormitorium, &c. at pro privatis necessitatibus tam quoad cibum, potum, vestitum, medicinam, debent æquè aut magis esse solliciti, quàm sæculares. Fa-* *teor hæc est valde exilis sicut communitas, sic for-*
tè

tè & charitas, religiosæque vitæ regularitas. Quæ necessariò post se trahit plurimas non bonas consequentias: nam *ex absurdo uno sequuntur multa.* *Secunda aliquantulum melior*, in qua insuper victus, ex parte etiam vestitus ex communibus suppeditantur singulis; & hoc cum multiplici adhuc differentia, prout fert monasteriorum mos, aut possibilitas &c. *Tertia perfectior*, in qua omnia necessaria qualiacumque tam pro infirmitate, quàm pro necessitate personæ suppeditantur; at tamen peculium ex conniventia & causa iusta, in modica quantitate indulgetur ad particulares casus, ob peculiaris motiva, v. g. ad conficiendum iter non necessarium pro Monasterio, ad visitandum amicos, ad excipiendum singulariter hospitem præ aliis gratiorem, & hoc intuitu meritorum talis personæ, vel utilitatis præsentis, aut futuræ &c. *Alia tandem perfectissima*, in qua nihil conceditur peculiare privatis personis particularibus; proinde ab illis nullus quid expectare poterit, qui proinde Religiosi ob hoc sunt feliciores, quòd in nullo, pro nullo teneantur esse temporaliter solliciti, sed sancta & immaculata ipsorum Religio sit ipsis & Pater, & Mater, & tutor, & procurator, & obses, & præses, pascens, & protegens corpus, & animam, utrumque imbuens regulari disciplina, & perfectione (*respectivè*) religiosa. His ita necessariò prænotatis, erit facilior resolutio quæstionis propositæ ab initio Capitis. Quæ tamen ad placitum singulorum difficulter dari poterit. Scio, quid faciam, ut neminem exasperem, omnes conciliem; mediâ viâ ibo, nimis rigoro-

gorofas inter, & nimis laxas sententias; simul & in generalibus conclusionibus sistendo (ex aliorum Dⁿⁱ. placitis citandis) *particularesque laudabilium Religionum laudabiles consuetudines, seque sint, intactas relinquendo*; ut hoc modo consulam sacre communitati, simul & communi charitati.

CAP. IX.

Continet responsionem ad questionem prioris Capituli, an liceat reservare peculium particulari Religioso.

R. Non licet quibusvis indiscriminatim Regularibus, vi primæ væ institutionis suarum Religionum, reservare peculium (*etiamsi ut distinctum contra proprium*) suis peculiaribus usibus. Sensusque hujus responsionis est, quod *per se* non liceat; nec *quibusvis*; nam *aliquibus*, quibus Monasterium pro nunc in nullo suffragari potest, procul dubio licebit, jure naturæ licentiam hanc deferente; cui etiam nullus jure contrariari potest. Deinde *pro nunc* & *ex accidenti* licet; quia Monasterium devastatum per bella, aut per prodigalitem officialium, Monachorumve intemperatum vivendi modum, aut aliunde ad nimiam pauperiem redactum. Dicitur etiam in parenthesis, *etiamsi, ut distinctum contra proprium*: nam, si sumeretur, ut est idem, quod *proprium*, res est nimis manifesta, quod sic non liceat, nec unquam licuerit: & sic in antiquis Canonibus, & Mona-

Monachorum Regulis nonnumquam sumebatur hæc vox *peculium* pro eo scil. quod quis sibi peculiariter à massa communi, clam, Abbate inscio, & hinc omnino invito, tamquam *proprium* arrogabat. Et

Probatur responsio quoad hanc partem ex c. Cùm ad Monasterium, de statu Monachorum, ubi Innocentius III. (sub quo incepit S. P. N. Franciscus Ordinem suum) ita inquit : Prohibemus distriçtè in virtute obedientie, sub obtestatione divini iudicii, ne quis Monachorum proprium aliquo modo possideat. Et si quis habuerit proprium aliquid, in continenti resignet. Si verò post hac proprietatem aliquam quis habere fuerit deprehensus, regulari monitione premissa de Monasterio expellatur, neque ulterius recipiatur, nisi poeniteat secundum monasticam disciplinam. Quòd si proprietas apud quemquam fuerit inventa in morte, cum eo insignum perditionis extra cœmeterium in sterquilinio subterretur, sicut B. Gregorius in Dialogo se narrat fecisse. Unde si quidquam alicui fuerit specialiter destinatum, non presumat illud accipere, sed Abbati seu Priori, vel Cellario assignetur. Nec aestimet Abbas, quòd super habendo proprio possit cum aliquo dispensare : quoniam abdicatio proprietatis, sicut & custodia castitatis adeo est annexa Regula monachali, ut contra eam etiam nec Summus Pontifex possit licentiam indulgere. h. i.

Mem. S. Gregorius Papa ita in epist. scribit Augustino Anglorum Episcopo : *Tua Fraternalitas in Ecclesia Anglorum hanc debet instituire conversationem, quæ in initio fuit in patribus nostris,*

stris, in quibus nullus propria habuit, sed erant illis cuncta communia. Quidquid verò necessitatibus superest, in causis piis & religiosis erogandum est, Christo dicente: quod superest, date eleemosynam, & omnia munda sunt vobis. h. i. Idem in Registro: Si peculiaritas à Monachis habetur, neque concordia, neque charitas in congregatione eadem poterit permanere. Ibidem: Quid est habitus Monachi, nisi despectus mundi? quomodo ergo mundum despiciunt, qui in Monachi habitu positi aurum querunt? Idem l. 3. dial. c. 14. Monachus qui in terra possessionem querit, Monachus non est. Idem epist. 22. scribens Joanni Subdiacono Ravennæ, inter alia eidem præcipit ut Mariano Episcopo dicere studeat; ut peculiaritatem à 4. aut 5. Monasterii Monachis, in quibus corrigi hæctenus minimè potuit, studiosissime compescat; & hoc ipsum Monasterium à tali peste mundare festinaret. h. i.

Præterea Clemens Papa Sanctissimus in epist. iv. & habetur in Decreto, causa 12. ait: *Communis vita omnibus, scil. clericis necessaria est, & maxime his, qui Deo irreprehensibiliter militare cupiunt, & vitam Apostolorum & discipulorum eorum imitari volunt. h. i.* Per has & alias auctoritates, per quas in lib. 1. adstruitur necessitas vitæ communis, simul etiam *peculium*, ut est idem quod *proprium*, eliminatur. Unde hoc verbum *peculium* nominatim in Regulis suis prohibuere Sanctissimi PP. *Hieronymus, Augustinus, Benedictus*, qui illud Monachis nec concesserunt, nec concessissent, quamvis petissent.

Princi-

Principalis autem responsio probatur etiam ex Dionys. Carthus. lc. a. 13. quia Monachi tenentur ad paupertatem eo modo, & sensu, quo SS. Patres, qui Ordines instituerunt, Monachos ad paupertatem obligare intenderunt: propterea non est communibus regulis, legibus, & præceptis contradicendum. Præterea, cum prima Mater dispensationis sit urgens necessitas, deinde vera, evidensque utilitas; attendat, qui Monachis præest, quid eum cogat ad dandum peculium Monachis suis, & quæ eis utilitas inde proveniat. Immo si diligenter pensaverit, videbit, quòd multiplex inutilitas ac ruina Monachis ex peculio generetur, & quòd sibi non sit necesse illud concedere: sed ex negligentia, consuetudine prava, & aliis causis non bonis introductum est peculium Monachorum. Hæc cit. Dionys. Carthus. Pergitque

Religiosi seu Monachi non solum tenentur ad viam meliorem, sed etiam securiorem: Cum ergo securius sit Monacho carere peculio, tenetur illo carere. Iterum secundum *Augustinum*, qui se committit discrimini, peccat mortaliter: Cum ergo Doctores devotiores, & viri religiosiores communiter reproben peculium Monachorum (quamvis aliqui illud aliquo modo excusent) videntur se ad minus discrimini committere Monachi habentes peculium. *Rursus*, quamvis Monachi non teneantur esse perfecti, tenentur tamen quotidie ad perfectionem tendere & conari: *Sed videmus ad oculum, quòd Religiosi habentes peculium non solum non proficiunt, immo de die in diem*
magis

*magis ac magis declinant & rruunt. h. i. subd. e
ibid.*

Præterea secundum Hieron. Cassian. & alios, immo, sicut experientia quotidie docet, nisi amor habendi fuerit de cordibus Monachorum funditus eradicatus, frequenter magis crescit, & inflammatur in eis circa parva & minima, quam in multis sæcularibus circa majora & plura: periculosissimum ergo est Monachis habere peculium, etiam si aliunde non esset eis prohibitum. Amplius; ut in Genesi c. 8. habetur, sensus & cogitatio cordis humani proni sunt in malum ab adolescentia sua: non ergo expedit circa peculium Monachorum loqui remissè, illudque colorare, & quodammodo excusare: quia ex hoc Religiosi ad peculium proni capiunt occasionem magna ruina, audaciamque se excusandi, etiam multò plus, quam ab aliquo Doctore notabili excusentur. Hucusque valde conscientiosè Doctor extracticus Dionys. Carthus. Qui hæc sua dicta vult intelligi non solum de proprietate civili, sed etiam de proprietate peculiari, id est de peculio. *Addit ibid.*

Mihi objici potest, quia tam districtè contra peculium Monachorum scribendo, quasi innumerabiles diversarum Religionum personas in statu damnationis constituo. Fateor; consideratio ista aliquos terruit, & ad scribendum de ista materia nimis remissè induxit: Quid igitur respondebo? utique pro præsentis aliud pro responsione non occurrit, nisi quòd zelò Dei, & S. Religionis hæc scribo, atque in genere loquor. & viam securiorem ostendo. *h. i.* Hæc doctrina utique us

Q

secu-

Proprietas,
securior eligenda, ubi non est manifesta necessitas
tolerandorum peculiarium.

CAPUT X.

*Ostenditur ulterius, quod peculium primitus per se
non fuerit licitum Religiosis.*

I. [D]ipsum ostendit cit. *Dionys. Cartus. lc. a. 14.*
ex *Regulis S. Basilii, S. Augustini, S. Hieronimi, S. Benedicti.* Hic in Regula sua sanctum suum Patrem appellat *S. Basilium*: Qui in Regula sua ita dicit: *Huic, quod est habere aliquod proprium, contrarium est, quod in actibus Apostolorum habetur: erant illis omnia communia -- si quis inter Fratres aliquid suum esse dicit, absque dubio alienum se facit ab electis Dei, & charitate Christi.* h. i.

II. *S. Hieron.* in Regula sua: *Edificat fatuus ille in Zabulo, quia in vita apostolica, & religionis proposito temporales appetit divitias. Hic attendite diligenter: hic periculum omne est, hic interitus, hic mors aeterna.* h. i.

III. *S. Augustinus* sæpissime in Regula nominat & eliminat *proprium*, quod autem per hoc *peculium* velit excludere (sicuti & mens fuit priorum) constat ex his, quæ in serm. ad Samnitanum disseruit, dicens: *Rem peculiarem omnino fuge. Vide, quanti, & quales de hoc pestifero morbo peculiaritatis perierunt. De peculiaritatis namque radice oriuntur haec vitia, superbia, inobedientia, avaritia, vanagloria, voracitas, mendacium, loquaci-*

loquacitas, atque luxuria. - *Illum morbum habendi peculium voco morbum pestiferum & illecebrosum, quem te oportet relinquere, si non vis beatitudinem sempiternam amittere. Va vobis Monachis, qui divites esse cupitis in pecuniis, & per hoc regnum calorum amittitis: qui sponte vovistis Deo observare normam Patrum Sanctorum, quorum exemplo radicarentur in regno calorum, modo per cupiditatem, & secularibus negotiis dediti intrabitis ignem aeternum. h. i.*

Idem S. August. l. 12. de civit. c. 25. Perversi volunt frui nummo, uti autem Deo: quoniam non nummum propter Deum impendunt, sed Deum propter nummum colunt. h. i.

*Navarrus etiam Canonicus Regularis in Monasterio de Roncavalle nequaquam putabat se esse securum in illo loco, ubi, quamvis cum licentia Superiorum, peculium tenebatur. Proinde licet in commentariis suis omnes rationes conquiescit, quæ pro peculio licite retinendo facere poterant, attamen scrupulis se expedire non valebat, hinc vocat illum *Statum periculosissimum. vide H. Casal. de eo.**

Nimis anxios peculiaristas pro futuro arguit hic idem, dicens: Religiosi magno quandoque numero cum paucis ac penè nullis redditibus commodius vivunt, justò Dei judiciò, quàm peculiaristæ illi in magna rerum abundantia. Inveniunt enim qui sumptuosas illis Ecclesias, commodas domus, honorabiles Sacristias, copiosas bibliothecas, & alia munifica manu ædificent, fidem illorum Deo sic remunerante; cujus provi-

dentiã non minùs liberaliter suorum necessitatibus prospicit, quàm si quispiam ex peculio eas subministraret. *h. i.*

IV. *S. Benedictus* præcipuus legislator, Pater & institutor Monachorum sic ait in sua Regula: *Præcipue hoc vitium proprietatis radicitus de Monasterio amputetur.* Sæpe in ibidem facit mentionem proprii eliminandi, sub quo & peculium se comprehendisse satis insinuat, dum mandat suppellectilia Monachorum frequenter ab Abbate scrutanda, propter opus peculiare, ne inveniantur---. *Ut hoc vitium peculiare radicitus amputetur, dentur ab Abbate omnia, quæ necessaria sunt &c. h. i.*

V. *S. Hieron.* in Regl. cit. sic ulteriùs inquit; *Si licet habere aliqua temporalia ad victum & tegumentum (quæ duo sufficiunt Christiano) nihil horum alicuius sit vestrum, sed commune sit omne etiam minimum.* Itaque obtestor vos omnes & singulos coram Deo & Jesu Christo, qui iudicaturus est omnes, ut aurum, & argentum, & pecunia cito pertransiens nulla ratione cor vestrum seducat, retinendo apud se quantumcumque minimum temporale ultra ea, quæ ex necessitate portantur: *ne samen hæc, nisi ex licentiã Superioris.* Nudus Jesus nudos querit sectatores. *Quod si ipsum sequi, temporale aliquid appetendo, volueris, oneratus gravædine nudum sequi non poteris.* Hinc dicuntur beati pauperes spiritu; ut sciatur, quod non sufficit cuncta temporalia in mundo relinquendo, ad claustrum accedere, si mens miserima appetit, quæ reliquit.--- *Propter quod volo, hortor, & moneo vos, charissimi.*

mi, ut hac perpetua in vestro Monasterio observatio maneat, quod nullus omnino tangere, aut aliquo qualiter retinere audeat per horam, censum, aut obolum, sed aliud quodcumque minimum, quamquam à Sorore, aut Matre mittatur. h. i.

VI. Rursus idem ait S. Hier. lc. Sic Sponsum Jesum astringite mentibus mundis à terrenorum contagione: quoniam secum in habitatione nihil permittit esse terrenum: sic sic prosicite peras, ut neque marsupia ex latere pendeant, neque opus sit clavibus, ut jam ex ipsis monstratur exteriorum indicis, quod nihil habetur extrinsecum præter Jesum: quod nihil est clausum, quod est deditum usibus hominum, h. i.

VII. Probatur nunc etiam ratione, & flebili experientia, ex Theodorico de Monasterio, universitatis Colon. Cancellario illa ætate, qua Coloniae studuit Dionys. Cartus. qui & asserit illum fuisse Doctorem, & virum clarum vita, scientia, atque facundia, sed & præcipue mitem & pium. Is in tract. suo de proprietate & peculiaritate Monachorum, vel Religiosorum c. 4. sic discurret, prout citatur à dicto Dionys. Cartus. lc a. 16.

Si scire delectat, quare proprietatis sive peculium tam rigorose prohibetur, attendite vitia, quæ inde sequuntur, quæ prudentiss. expertiss. ac devotissimi viri, qui Religiones instituerunt, consideraverunt, & per experientiam etiam didicerunt. Consideraverunt enim, quod ex proprietate seu peculio tamquam ex venenosa radice multa peccata proveniunt, ut puta, contumacia, superbia, contentio, partialitas, avaritia, vana gloria, invidia, mendacium,

dacium, luxuria, occupatio, infructuosa cura, superflua multiplex dissolutio, varia mentis distractio, acedia, negligensque divini officii persolutio, atque similia. Quoniam abundantes in peculio, ad resistendum suis Superioribus sunt audaces, nec disciplinam & correptionem patienter suscipiunt, partialitates efficiunt, & interdum comessationibus & ebrietatibus vacant. Ex quibus ad vitia carnis labuntur, & votum suum de castitate servanda sceleratissime frangunt; sicque ad divina fiunt pigri, & acediosi, opusque Dei negligenter persolvunt, atque in innumerabiles defectuositates damnabiliter incidunt, non observantes silentium, & sæpe neque jejunium; nec ad commune refectorium veniunt; sicque quotidie magis excæcantur, & obdurantur *h. i. Pergit;*

VIII. Contingit quoque frequenter, quod habentium peculium usus multò plus habet, quàm alius: quod non videtur consonare justitiæ; cum bona Monasterii extent communia; tamen secundum justitiam, unicuique secundum indigentiam suam est tribuendum. Cum ergo tot vitiorum peculium sit origo, justissimum, valdeque necessarium est, ut Religiosis secundum Decreta Conciliorum, Decretales Summorum Pontificum, Sanctorumque Patrum Regulas penitus auferatur. Et si Religiosi libenter permitterent se à corporali urgari veneno; incomparabiliter libentius debent habere, ut ab hoc speciali veneno, æternam damnationem inducente purgentur. *h. i.*

IX. Insuper probat hic Doctor, quod magis nocet Religioso, habere usum peculii sine proprietate-

prietate civili, quàm habere proprietatem sine usu (*Patet in Religiosis Soc. Jesu, post vota biennii retinentibus suorum bonorum dominium radicale seu proprietatem, at sine usu libero, id est, dispositione independente à Superioris licentia.*) Ejus exemplum est ; quòd puero vel furioso non noceret proprium habere cultellum, dummodo non haberet libertatem, & facultatē utendi illo cultello; sed habere libertatē ad placitū utendi communi cultello, esset furioso seu puero valde periculosum. Quemadmodum ergo stultum, & derisibile esset, si quis pater-familias prohiberet filio suo habere proprium cultellum, ne se læderet; nihilominus daret ei licentiam utendi ad plūacit communi cultello domus; sic stultum videtur, & derisibile, si Pater spiritualis Filio suo spirituali prohibeat possidere aliquod proprium; & nihilominus assignat ei aliquam portionem de communibus bonis Conventus, conceditque ei usum illius portionis. *Quia libertas illa utendi illa portione est ei magis periculosa, quàm esset ei proprietatis ejusdem portione sine utendi licentia.* Quoniam usus, propter quem vitandum SS. Patres prohibuerunt proprietatem, est propinquior libertati utendi, quàm proprietati possidendi. Immo, quantum ad progressum de malo in malum, parum aut nihil refert, an habeatur usus sine proprietate, vel cum proprietate. Hoc ipsum ex illo adducit *Rodericus p. 3. tr. 3. c. 15.*

Præterea quod amplius est, facile est considerare, quòd *Monachi habentes peculium saepe immoderatiùs illo utuntur quàm seculares & conjugati propriis rebus*: Conjugati quippe ob curam sta-

tui suo annexam, rebus suis frequenter satis moderatè multùmque parcè utuntur : Monachi verò habentes peculium, quia huiusmodi cura & onere non gravantur, nec, quod restat eis, in hereditatem suis relinquere possunt, rebus sibi concessis valde multoties immoderatè utuntur. *Hucusque cit. auctor à Dionys. Cartus.*

X. Idem in cit. Tr. c. II. piè scribens de religiosa communitate, & malè sentiens de peculiaritate sic reverenter scribit de religiosiss. Ordine Cartus, ad aliorum Ordinum ædificationem, & imitationem, dum inquit: *Insuper attendite, quòd religiosiss. Ordo Cartus. ab exordio suo usque in hunc finem inconcussa servavit modum habendi omnia in communi: & per illum modum profecit in spiritualibus, & in temporalibus. Alia verò Religiones quoad Conventus, innumerabiles per peculia defecerunt & quotidie magis decrescunt in spiritualibus, & in temporalibus; ut flebilis experientia docet.* Addit ibi,

Sæpe accidit, quòd aliqui Conventus Ordinis Cartusienfis per sterilitates aut bella, aut alia infortunia depauperantur; non tamen modum vivendi de communi dimittunt, sed ipsum firmiter tenent, quacumque paupertate non obstante *Concludit.* Nemo agrè ferat, quòd specialem facio mentionem de Ordine Cartusienfium: nam hoc ideo facio, quoniam propter regularem vitam & disciplinam in eo vigentes, ipse est rectè Regula & mensura aliarum Religionum. *h. i.*

Supposito ergo nunc, quòd per se, & ex prima institutione Ordinum non liceat habere peculium; queritur in Capit. seq. an saltem per accidens liceat &c.

CAPUT

CAPUT XI.

*De Reservatione applicativa & usuali alicujus
peculis ante professionem, Religiosorum possi-
dentium in communi, &c.*

QUæres, *An possit dari interdum justa causa in-
directa, ex qua possit professurus in Religio-
nibus possidentibus reservare sibi peculium vel
pensionem, de voluntate Superioris in usus licitos
applicandam, si illud non excessivum, sed mode-
ratum sit intra terminos religiose honestatis.*

*R. 1. Cum P. Marchant. in tribun. Tr. 2. tit.
1. q. 4. dub. 2. resol. 1. Tom. 3. Si accipiatur ly
Sibi possessivè, sive ut possessionem indicat; nul-
lus potest Novitius sibi ullam reservare pecu-
lium, reservatione possessiva; nec ad hoc illi ul-
la causa potest suffragari.*

*Ratio est; quia talis reservatio includit in se
meram proprietatem, sive spectetur in domi-
nio rei, sive in usu-fructu, sive in usu-juris. Mo-
nasterium autem potest in communi possidere;
sed tunc non dicitur peculium. Si in communi
non possit possidere, v. g. Fr. Minor. strictioris
observantiæ, & Capucinatorum; quid ab illis, &
pro illis in legando, vel reservando possit, vel
non possit fieri, vide resolutum exactè à dicto
Marchant. lc. Qui & notat tres potissimum re-
quiri conditiones, ut in ordinibus possidentibus
professurus sibi aliqua reservare possit. 1. Causa
justa & rationabilis. 2. Licentia & dependentia*

Q

realis;

realis, & non ficta à voluntate Superioris. 3. Voluntas Superiorum certa, & legitima.

R. 2. *affirm.* Ad totum quaesitum principale, cum cit. *March. Ludov. Miranda, Eligio Bassae Capuc. &c.* quibus etiam alii bonæ notæ Authores conscientiosi & docti hujus temporis adstipulantur; & praxistimorum Religiosorum, etiam Superiorum id permittentium, immo approbantium positivè. Interim, cum quaestionis termini, & responsionis non sonent universalissimè, sed restrictè; oportebit eos singulatim expendere cum cit. *March.* Dicitur ergo 1. *Interdum*; non enim omni tempore, neque in omni circumstantia loci vel conditionis personarum hoc licet, ut dicatur justa causa; sed v.g. vel ratione belli, aut caritatis annonæ, vini, frumenti, lanæ; item inter hæreticos vel infideles; si persona sit senex, vel debilis, & tamen Monasterio futura valde proficua &c. In his enim vel similibus circumstantiis, non tantum jure poli, sed etiam jure humano leges interpretante, oritur justa causa reservandæ pensionis, & peculii usualis, quæ alio tempore, circumstantiâ, vel conditione personæ, non subsisteret.

Dicitur 2. *Justa causa*; quæ scil. juri divino & humano conformatur, & quæ ex æquitate, & principiis justis deducitur. De qua infra.

Dicit quidem *Navarrus*, posse tolerari peculium, ob grande bonum; sed *H. Casal* dicit non posse tale bonum prævalere bono communitatis religiosæ. Unde hic titulus solus non vide-

tur

tur generaliter justificare concessionem peculiorum.

Dicitur 3. Indirecta; quia non ex directa exigentia naturæ status religiosi, sed ex obliqua, & velut accidentali circumstantia justificatur, v.g. vel inopiæ monasterii, vel exordii adhuc pauperis, ideoque defectu communitatis perfectæ ibi necdum introductæ. In tali itaque casu, jure divino naturali permittente, immo jubente per media naturalia conservationem vitæ, similiter jure humano permittente pro conservatione honestatis statûs, licebit pensionem annuam super hereditate reservare, ne talis exponatur incertitudini honestæ alimentationis, & vestitionis. Quæ causa, ut palam est, non est *per se* annexa statui religioso, *hic enim potius exigeret, in quantum cœnobiticus est, ut communis vita communibus bonis, communi laboritio & corporali, & spiritali, communibusque velut stipendiis servetur, & traducatur.*

Dicitur 4. De voluntate Superioris; quæ debet esse libera, prudens, discreta, charitativa; ut sic indigentia subjecti prospiciat, quatenus tamen terminos honestatis religiosæ & sufficientiæ non excedat.

Dicitur 5. In usus licitos; ut abstrahatur hic à quæstione theologica, quæ ventilat, an Superior etiam ad usus illicitos, inhonestos licentiam validè dare possit, tollendo scil. impedimentum in tali re usuali, quæ est *dissensus Superioris*, ratione cujus nequit validè à solemniter professo unquam expendi, seu alienari. Sufficit

AUREA

autem licentia Superioris (*per se loquendo*) implicita, præsumpta, interpretativa; de qua vide Casuistas, (nisi tamen Constitutiones Ordinis in casu aliud statuunt.)

De peculio sic ritè circumstantionato ita inquit *H. Casal* p. 3. c. 13. *Conditiones & circumstantia, cum quibus in monasteriis peculium Ecclesia permittit, ultra hoc, quòd illud ita limitent, ut vix peculii nomen mereatur, etiam ad vitam communem proximè disponunt, & ad eam paulatim deducunt. Unde tali casu non modò peculium efficitur bonum & licitum, sed etiam in eo potest quis sanctè vivere, si velit.* h. i. Idem p. 4. c. 9. depositum ait permitti à Trid. & ab Ecclesia, dummodo vestiatur omnibus conditionibus; sed, utinam has omnes adjicerent, tunc non tam multa inordinata inde orirentur! Illi Religiosi virtuosè utuntur deposito, seu peculio, qui parati sunt, quantum est ex se, ut, si quid supersit post necessitates suas sublevatas, statim pro communi necessitate, aut alterius Fratris indigentia sublevanda impendatur.

NE. His stantibus ita; cùm peculia solùm liceat reservare *ex accidenti*, & *in casu*; hinc maximè providendum, & attendendum est tam Prælati, quàm subditis, ne ex eorum usu fiat abusus; cujus periculum vix ab illo separari potest hoc tempore, maximè in ingeniis non multùm regulatis, ideoque pronis ad vitæ licentiam subinde exorbitantem. O! utinam hæc vera non essent! *Præstaret, secundùm dictum S. Bonav. supra citatum, tales Religiosos ibi non esse, ubi*

tibi vel non volunt, vel non possunt vivere in Religiosi; ne non solum ipsi pereant, sed & mundani scandalizentur ab ipsis, & pervertantur.

Cum quo manet (hoc pace omnium dixerim) quod illae Religiones minus periculi habeant, plusque laudis coram Deo, & hominibus, qui peculia non admittunt, ne Religio scissuram, aut notam patiatur, aut sensim ad laxitatem dilabatur.

Non tamen quicumque ineptè colligere audebit ex suprà data responsione, quod, dum ex tali justa causa permittitur peculium intra terminos religiosae honestatis, etiam eo ipso talibus religiosis desuper concedatur absolutum jus expendendi in qualescumque usus, aut sine dependentia à Superioris licentia, contra laudabiles Ordinum consuetudines. *Nec hoc ipso datur facultas thesauros coacervandi, & sine termino quasi divitias sibi privatim corradendi, quovis modo, &c.* Hæc enim omnia præexclusa sunt; ne mentiatur ulli iniquitas, dum solum patrocinari debet vera, & non palliata necessitas.

CAPUT XII.

De concessione peculii usualis, a licita Religioso post eius professionem.

N. Peculium vocatur *usualis*, eò, quòd non nisi merum usum facti circa illud habeat particularis Religiosus. Est autem hic usus vel *actus transeuntis*; vg. pro certa itineratione, pro tractatione amicorum, &c. vel insuper *actus* aliquo modo *permanentis*, vel redeuntis, seu iterabilis; vg. pro sustentatione in studiis extra monasterium, pro equitatione toties, quoties; pro exceptione amicorum, quoties venerint, &c. Si loquamur de peculio concessò ad actum *inere transeuntem*, etiam concedi potest in Ordinibus, in quibus est perfecta communitas. vg. Amicus petit presentiam sui cognati in monasterio habitantis multum distito: offert se ad dandum ei sufficiens viaticum pro itinere trium dierum conficiendo: In quo casu P. Prior talis Patris licitè ei talem pecuniam tamquam *usualis* peculium pro actu sic transeunte indulget; quia nil potest obstare. Quæstio ergo difficilior est de usu ad actum permanentem, durantem, seu redeuntem; ita ut interim illa peculii pecunia quietè conservetur, aliquo modo distincta à communi pecunia conventus, pro tali fine; vg. toties, quoties in sua debilitate in naturæ conformationem, seu medicinam, vel alia singulariter necessaria conquirit, & extrahat.

In priore cap. quæsitum & resolutum fuit, an possit Religiosus, antequam profiteatur, dum de suis bonis, duobus mensibus ante professionem, juxta præscriptum S. Concilii Trid. facit dispositionem, tunc simul sibi præexcipere, & sibi reservare aliquod annuum peculium pro necessitatibus suis post professionem obventuris sublevandis. In hoc autem cap. quæritur aliquid aliud, scil.

Q. i. An interdum licitè possit Superior Regularis, etiam post Concil. Trid. concedere suis Regularibus usum simplicem facti, peculii in re aliqua mobili vel immobili, ad Conventum pertinentem.

R. affirm. cum P. March. lc. Bassao & aliis; attamen servatis vii. conditionibus. i. Ut sit causa necessaria, & justa. ii. Ut res, quæ conceditur ad usum, & modus utendi, respectu personæ, cui conceditur, moderantiam & modestiam statûs religiosi non excedant. iii. Ut usus sit verè revocabilis ad nutum Superioris, & omnino ab ejus voluntate dependens (salvis tamen particularibus singulorum Ordinum Constitutionibus). iv. Ut sit Conventui aliquo modo incorporata. v. Ut in usus non nisi licitos insumi possit. vi. Ut apud Conventûs depositarium reservetur, ab eoque administraretur. vii. Ut per Conventûs Officiales exponatur, & non per ipsosmet Religiosos indigentes, pro eorum necessitatibus sublevandis; sitque ad usus certos ac determinatos. Bassaus rigidior poscit 10. conditiones. In his consistit totus cardo peculiorum, quæ

quæ

quæ sive ex corruptela, sive ex necessitate, & justa causa conceduntur. Si enim vel modicum ab his VII. conditionibus recedatur, tamquam terminis securitatis, non sine peccato conceduntur, tam ex parte conditionis, quam eorum, quibus conceduntur. Si verò intra terminos illos concedantur, & eorum usus non declinet; tam concedens, quam is, qui utitur, in conscientia à transgressione liberi sunt. h. i. (*NB. Responsio non habet locum in illis Ordinibus, in quibus est exacta vita communis, simulque specialis inhibitiotalis peculii concedendi; qua laudabilissima est*). De ulterius requisitis, ut licitè habeatur peculium seu depositum, vide infra c. 19. q. 3. R. 3.

Quod autem peculium hoc usuale, seu ad simplicem usum-facti concessum, in nullo adverteretur S. paupertatis voto, nec paupertatis statui, nec antiquis Canonibus, nec S. Concilio Trident. *Probat I. cit. March.* quia I. nullam proprietatem inducit, nec juris possessionem, nec aliquam retentionem extra Superioris manus, nec aliquid quod sit extra corpus Conventus (nam necessariò debet vel priùs esse incorporatum, vel pro tunc incorporari Conventui, ut vult Concil. Trid. alioquin esset extra limites facultatis Superioris); ideoque dicit tantum simplicem facti-usum ad nutum Superioris illius, cum omni dependentia vera, non autem solâ verbali, aut fictitiâ; ut supponitur.

II. Quia, qui tali peculio utitur, propriè non habet rei administrationem (vetitam non officialibus

libus

libus à S. Concil. Trid.) ut de ea disponere possit, sed censetur simpliciter uti re sibi per Superiorem ad usum intra terminos paupertatis religiosæ concessâ, vel etiam per Officiales administranda, & pro eo ab ipsis expendenda.

III. Quia talis peculii usus non excedit modum à Tridentino citando concessum; supponitur autem ob justam causam & necessariam, & modo omnino congruenti permissus; prout magis explicabitur in sequentibus.

*Probat*ur 2. *principalis responsio*; quia de facto (permittente Summo Pontifice) in Ordinibus, in quibus non viget vita exactè communis, permittitur perfecta forma ærarii, seu arcæ trium clavium, cui Religiosi singuli privatas eleëmofynas, acceptas vel occasione concionum (prout in Italia) vel laboritii spiritualis, seu corporalis, alteriusve tituli, justo & licito modo obvenientes, cum debita licentia Superioris, religioso quoque moderamine quoad quantitatem pecuniæ inferendæ, &c. *Supposito itidem*, quod privata singulorum eleëmofynæ debeant incorporari, & confundi, dum hoc Religionis Constitutiones præcipiunt (de quo in Decreto S. C. visitat. Apostol. in Constit. Urban.) servatisque aliis conditionibus à constitutionibus Ordinis præscriptis, inferre debent, ad finem subveniendi inde suis privatis religiosis necessitatibus. NB. Hæc forma ærarii quidem permittitur nunc, & permissa fuit à Summis Pontificibus; attamen abusus semper cum pia cautela fuerunt odibiles, proscripti, & ut damnabiles inhibiti ab illis. U-

rinam possent quoque omnes inordinationes præcaveri, quæ inde indirectè oriuntur, maxime in illis Religionibus, ubi pauci habent provisiones tales, aut eleëmofynas particulares, quas dicto ærario inferant; proinde valde miseris sunt, si Conventus eis suppeditare nequeat. De quo sat actum supra in primo libro. Summi Pontifices quidem (prout supra dictum) permiserunt dictum ærarium, tamquam dispositionem præviam ad *vitam perfectè communem*, tamquam *terminum ad quem*; sed; durabitne perpetuò hæc dispositio? an terminus ad quem numquam introducetur? Dubio procul ex intentione Summorum Pontificum hoc eruitur, quòd *dispositio* hæc toleretur ideo, ut in nobis *dispositio* animi, & seria resolutio excitetur, contendendi ad terminum principalem; (tam diu desideratum, tam anxie à multis quæsitum, tam sollicitè concupitum, sed, eheu! necdum plenè ab omnibus inventum;) alioquin non permitteretur ut *dispositio*. Si ipsi religiosi non conmittantur cum hac dispositione, certè ipsa *dispositio* se ipsam non perficiet, nec perducet ad terminum principalem.

* * *

* *

CAPUT XIII.

De Decretis S. Concilii Trident. ac S. Congregationis DD. Eminentiss. Cardinalium circa usum, vel abusum peculiarium usualium apud Religiosos.

I. S. Concil. Trid. sess. 25. de Regularibus c. 1.

Hoc decreto præcipit, ut omnes Regulares tam viri, quam mulieres, ad Regule, quam professi sunt, præscriptam vitam instituunt, & componant: atque in primis, qua ad suæ professionis perfectionem, ut obedientia, paupertatis, & castitatis, ac si qua alia sunt alicujus Regule, & Ordinis peculiaria vota, & præcepta, ad eorum respectivè essentiam, nec non ad communem vitam, victum, & vestitum conservanda pertinentia, fideliter observent. h. i.

II. Idem S. Concil. Trid. c. 2. proprietatem eliminat, de usu mobilium ordinat &c. *Nemini igitur Regularium, tam virorum, quam mulierum liceat bona immobilia, vel mobilia, cujuscumque qualitatis fuerint, etiam quovis modo ab eis acquisita, tamquam propria, aut etiam nomine Conventûs possidere vel tenere; sed statim ea Superiori tradantur, Conventuique incorporentur.*

Nec deinceps liceat Superioribus, bona stabilia alicui Regulari concedere etiam ad usumfructum, vel usum, administrationem, aut

commendam. Administratio autem bonorum Monasterii, seu Conventuum ad solos Officiales eorundem, ad nutum Superiorum amovibiles pertineat.

Mobilium verò usum ita Superiorum permittant, ut eorum suppellex statui paupertatis, quam professi sunt, conveniat; nihilque superflui in ea sit: nihil etiam, quod necessarium, eis denegetur. Quòd si quis aliter quidquam tenere deprehensus, aut convictus fuerit, is biennio activa & passiva voce privatus sit, atque etiam juxta sua Regule, & Ordinis Constitutiones puniatur. h. i. Circa quod Concilii Trid. decretum

III. N, ex cit. Marchant. Contra aliquos, quos ipse citat, quòd Tridentinum in hoc ultimo cit. decreto non constituerit novum jus, id est, præcepta nova; sed jus antiquum, & præcepta antiqua, in essentia voti paupertatis, & substantia, ac concomitantibus statum religiosum ex natura sua contenta innovasse, & contra abusus, qui irrepsérant, denuò declarasse ait; & propter hos abolendos utitur his verbis, *Nec deinceps liceat*, &c. Non enim potuerunt Superiores ante Concil. Trid. peculium (de quo in præced. cap.) concedere, nisi eodem modo, & iisdem conditionibus, quibus modò possunt, & quas ibi recensui. Quia talis concessio aliter facta (ut dictat rectæ rationis congruentia) omnino repugnat vel voto paupertatis, vel ei annexis virtutibus, vel statui religioso; ut ex prædictis colligi fatis potest. Unde cit. Author ponit etiam hanc

Regulam Generalem. Quòd Religiosus professus, quicumque notabiliter modum excedit in usu rerum sibi concessarum, in abundantia, sive superfluitate, curiositate, pretiositate, peccet mortaliter; sicut & Superior, qui sciens & volens id permittit. Hanc suam Regulam ipse quidem non sufficienter probat; attamen non obscurè deducere quis potest ex textu Concil. cit. *Interim arbitror ego*, quòd fortè pauci circa talem abusum faciant sibi magnum scrupulum. Nam in opulentis Monasteriis talia non multum æstimantur (dum non est caritas anno-næ &c.) in Conventibus autem tenuibus talia non nisi cum sufficientia religiosa & parcitate erogantur; ut locus non detur abusui *saltem communiter*; quod addo: nam neutiquam dubito, quin subinde excessus, & prodigalitas ab aliquibus committatur in abusu temporalium subsidiorum, *quæ, cum Deus concesserit homini in subsidium vitæ, ipsi insumunt in pabulum culpæ*; dum nocent proprio corpori & animæ, abbreviant dies vitæ, impediunt operationes & functiones naturæ ordinatæ, propriæ obsunt famæ, corpus suum subtrahunt Religionis bono, variis tandem infirmitatibus in senectâ subji-ciendum.

IV. Circa legitimam intelligentiam prædicti decreti, aut explicationem, seu declarationem, neutiquam privati cujuslibet judicium præsumptuosè admitti potest: at Declarationes Eminentiss. DD. Cardinalium omnino admitti debent, quarû unam refert in Summa Bullarum.

V. *Casus reservati*, Stephanus Quaranta (ex quo citant Bartoluc. & Marchant. aliique) in qua septem quaestiones septem responsionibus à S. Congregatione, subsignante Em. Cardinale Hier. Mattheo, & sigillo suo eas confirmante, resolvuntur sequenti modo.

Prima. *An ex dispensatione inferiorum sub Summo Pontifice, liceat Regularibus possidere, vel tenere agros, annuos redditus, aliaque bona immobilia videlicet & superflua, non obstante decreto Concilii Trid. sess. 25. de Regular. c. 2. R. ad primum. Congregatio Concilii respondit non licere.*

Secunda. *An propter talem dispensationem, seu scientiam Superiorum, possidentes vel tenentes immobilia, vel mobilia superflua, à culpa vel poena excusentur. R. ad secundum, non excusari neque à culpa, neque à poena ipso facto incurrenda.*

Tertia. *An Superioribus asseverantibus, huiusmodi licentias se posse concedere, fides adhibenda sit. R. ad tertium, minimè adhibendam.*

Quarta. *An Superiorum arbitrio, & praefinitioni stare debeant Regulares quoad mobilia superfluitatem, & convenientiam. Responsum, nisi de excessu arbitrii constiterit, utique stare debere, habità videlicet ratione personae, officii, & Regulae, statusque paupertatis, quam professi sunt, ceterarumque itidem qualitarum.*

Quinta. *An Superiore quantumvis requisito, necessaria suis Regularibus negante, vel subtrahente, liceat ipsis clam, vel eò invito, illa sibi*

sibi comparare, vel retinere. Responsum, non licere.

Sexta. Et quatenus liceat. An itidem liceat, cum necessaria ideo negantur, vel subtrahuntur, quia Monasterii facultates non suppetunt. Responsum, licere, si precisa necessitas sit ad individui sustentationem. Ceterum communem pecuniam ab omnibus precipiendam usque adeo, ut, si quid privatum alicui delatum, vel ab ipso partum fuerit, id omne ad Superiorem rectè deferrè oporteat, qui ex eo primum succurrat ejus necessitati, cujus intuitu illud obvenit, si peculiari aliqua necessitate ultra communem prematur, reliquum verò Conventui incorporetur, & in communem cedat utilitatem.

Septima. An dicti Superiores Regulares dictum caput secundum declarare, & interpretari possint. Responsum, non posse.

Ex his infertur cit. Marchant. I. Quod Superior se accommodare teneatur intentioni benefactoris, offerentis aliquid pro subsidio privati Religiosi (si tamen honesta sit, & bene circumstantionata) Religioso illi primò providendo, pro cujus necessitate sublevanda res est concessa; nisi aliud justa ratio suadeat, quæ in fideli epikeia contineatur.

II. Circa paupertatis vorum sæpe multos abusus committi, procurante fallacia humanæ imaginationis; dum Regulares procurant subdolis modis sibi dari, concedi, legari nonnulla sub conditionibus illegitimis, quasi independenter, & exclusa voluntate, ac libera dispositione Su-

periorum, illis ad placitum uti possent: quaestiones & lites movent: amicos & benefactores ad illicita vel illegitima concitant, ut sua libertate utentes, in proprietatis barathrum se praecipitent.

III. Qui abusus specialius Moniales contingunt in dotibus, pensionibus, munusculis, & aliis similibus: nec desunt aliquando in falsis Fratribus, & Religiosis. Hinc usum simplicem facti in usum-juris, & usum-fructum convertunt, dum depositum sibi tamquam debitum exigunt, ad nutum suum expendi volunt, & in usus quoscumque, etiam extra terminos frugalitatis religiosae distrahant: aliquid in istis immutari à Superioribus non sustinent, administratione Officialium contenti non sunt: quin & ad ultimum usque denarium sibi velut computum reddi in verecundè cupiunt: fundationes Missarum sibi vel parentibus ex iis pecuniis ad multos annos fieri procurant, & Monasteria sua gravant, & signa ac incentiva proprietatum ceteris post mortem relinquunt.

IV. Quibus abusus, Superiores condescendunt, sive ex nimia indulgentia, aut obligationis suae ignorantia, sive pusillanimitate; quia eorum molestias pati nolunt. Grave quidem jugum Superioribus, qui & oves sibi concreditas in peccatis relinquunt, & difformi Religionum viam aperiunt, eamque praetextu necessitatum fovent. *Hucusque*
P. Marchant.

CAPUT XIV.

De aliis Declarationibus Eminentiss. DD. Cardinalium circa usum vel abusum peculiorum, licitum vel illicitum Religiosis.

NB. In Concilio Trid. post c. 2. sess. 25. de Regularibus habentur hæ Declarationes partialium textuum præfati Capituli.

I. *Nemini igitur Regularium &c.* Regulares tam feminae, quam masculi non possunt tenere propria, sed omnia dare debent suis Superioribus; per quos provideatur primò, ut subveniatur necessitatibus earum, vel eorum, quibus munera destinata fuerunt.

II. *Possidere, vel tenere &c.* Moniales tamquam proprium possidere nihil possunt etiam de eo, quod suis manibus laborando acquirunt, vel eis à parentibus donatur; etiam hoc positò, quòd Monasterium esset nuperrimum.

III. *Superiori tradantur &c.* Moniales & Regulares ceteri res etiam parvi momenti sibi donatas, aut aliàs acquisitas, uti proprias retinere non possunt; sed Superiori resignandæ sunt.

IV. *Conventui incorporentur.* Quidquid singulæ Moniales quocumque titulo acquisierint, totum ad Abbatissæ manus deferri oportet: quæ in primis ex hujusmodi acquisitionibus subveniat arbitrio suo necessitatibus illius Monialis, cujus operâ, vel contemplatione fuerunt datæ: quod verò reliquum erit, *Convertat in communem u-*

sum totius Monasterii. Curabit, ut victus Monialium quotidianus *communis* sit & in coctura, & in usu.

V. *Nec deinceps liceat Superioribus &c.* Ex dispositione inferiorum Summi Pontificis, non licet Regularibus possidere vel tenere agros, annuos redditus, aliaque bona immobilia superflua, obstante hoc Decreto.

VI. *Nihilque superflui in ea sit.* Superiorum arbitrio & præfinitioni stare debent Regulares quoad mobilia superfluitatem vel convenientiam, nisi de excessu arbitrii constiterit, habita videlicet ratione personæ, officii, & regularis status, paupertatisque, quam professi sunt, & ceterarum itidem qualitatum.

VII. *Nihil etiam quod sit necessarium, eis denegetur.* Superiore quantumvis requisito, necessaria suis Regularibus negante, vel subtrahente, licet ipsis clam, vel eo invito, illa sibi comparare, seu retinere, etiamsi ideo necessaria negentur, quia Monasterii facultates non suppetunt, si præfata necessitas sit ad individui sustentationem.

NB. *Superiores hoc caput declarare, & interpretari non possunt h. i.*

VIII. *Biennio activa & passiva voce privatus sit.* In omnibus actibus Capitularibus, non tamen in electionibus hoc intelligitur.

IX. Circa abusum peculiorum, idem *Stephanus Quaranta* citat quasdam S. Congregationis responsiones præter supra citatas, his verbis.

In aliquibus Monasteriis Monialium reperiuntur nonnullæ Moniales, quæ census, & annuos quosdam reddi-

redditus, proventus, seu fructus percipiunt sub diversis contractuum speciebus. Nam 1. aliqua in ipsarum persona emerunt certos redditus à personis Laicis. 2. Aliqua ab aliis Monialibus 3. Aliqua ab ipsis Monasteriis. 4. Aliæ verò dederunt pecuniam Monasterio, ut ex earum pecuniis fieret emptio nomine Monasterii ad rationem septem, vel octo pro centenario, & Abbatissa dabant dictis Monialibus illos redditus, quos ex dictis emptionibus exigebant singulis annis. 5. Aliqua Monasteriis seu eorum Superioribus certas pecuniarum summas manualiter, pro monasterii indigentis dederunt; pacto adjecto, vel etiam tacita conventionē adhibita, ut Monasterium seu Abbatissa certos redditus ad rationem tot pro centenario, earum vita durante, concedat.

Quæritur, An in huiusmodi casibus liceat Monialibus dictos redditus, fructus & proventus percipere, absque incurso proprietatis, vel potius tamquam proprietaria incurrant pœnas per Concil. Trid. sess. 25. c. 2. de Regular. proprietariis institutas, etiamsi de licentia Abbatissæ, & ad Abbatissæ nutum, vel Conventus seu Monasterii nomine percipiant.

Congregatio Concilii censuit, in nullo prædictorum casuum licere Monialibus dictos fructus seu redditus percipere, & si perceperint, incidere in pœnas propositas Decreto d. c. 2. sess. 25. de Reg. Neque ab huiusmodi pœnis excusari ob licentiã Abbatissæ, quæ etiam dicti Concilii Decreto in supra dictis casibus concedere quidem prohibetur; sed debet pro suo munere, ex Monasterii redditibus & elemosynis

Monia-

*Monialium necessitatibus indies subvenire. Signa-
vum erat, Hieronymus Cardin. Matthæius, sigillo
adjuncto.*

CAPUT XV.

*De causa, seu occasione introductionis peculiorum
apud Religiosos &c.*

CONSTAT ex supra dictis, quòd status Religiosus
vi primævæ institutionis suæ, & intentionis
suorum Fundatorum, potius habeat annexam vi-
tæ communitatem, quàm peculiaritatem. Unde
hæc ergo venerunt zizania, quæ sementem virtu-
tum religiosarum, immo & bonæ voluntatis
modicum superstes granulum in agro S. Religio-
nis frequenter ita suffocent? Respondeo meritò:
inimicus homo hoc fecit, dum hac via (quæ pri-
mitus quidem videbatur recta) omne malum la-
tenter & pedetentim in Religiosos aliquos Ordi-
nes irrepsit. Fateor quidem verissimum dixisse
Laurent. de Peyrinis Tom. 1. de subdito q. 2. c. 2.
§. 1. coll. 3. dum sic inquit: *Ex negligentia Præla-
torum oritur Religionum dissipatio, & Religioso-
rum perditio. h. i.* At negligentia illorum ideo
culpanda est, quoniam irrepens malum non co-
nantur ab initio præfocare, & vulpeculas, quæ
demoliri sensim attentant vineas Religionum, ca-
pere, dum adhuc vulpeculæ sunt, & eas facilè al-
lidere ad petram rectæ rationis, & præscriptæ
Regulæ possent. De his,

*Quæres, quænam obstent specialiter religiosæ
pauper-*

paupertati, fecerintque ac faciant adhuc aditum ad periculosa peculia. Præter alias jam tum supra relatas, v. g. inopiam Monasteriorum, recens exordium, infortunia per bella, grandinem, furta, infortunia &c. quæ sunt quali causæ, seu occasiones extrinsecæ, sunt aliæ quasi intrinsecæ, id est, ex vitio Religiosorum ortum trahentes. De quibus

R. 1. Quòd sequentia potissimum, *Primum* est congenita nobis corrupta seu inordinata cupiditas, quâ homo appetit habere plura, pecularia, superflua, quibus non indiget; quam & ideo comitatur innata superbia, qua quærit aliis non minor esse, eminere, dominari, apud eos honorificum sibi nomen conciliare, inordinatè placere: & quia hoc Monachus non sinitur, sed prohibetur facere ex communibus, hinc quærit privata seu pecularia.

R. 2. Alia recenset *Peyrinis* cit. & est II. Religiosorum multitudo; quibus dum non potest ex communibus provideri sufficienter, quærunt pecularia. Et inter multos multi imperfecti inveniuntur, vel fiunt, naturâ semper ad inferiora tendente, dum multi nequeunt tam ritè gubernari, quàm pauci.

III. Desiderium domos ædificandi, & ampliandi, Prælatos sollicitans: cui ut satisfaciant, subditis necessaria denegant. Dolus hic diaboli est enitentis, ut minora majoribus præponantur, & levia incommoda gravissimis malis curentur. Leve enim incommodum est, si domus non sit plenè ædificata; magnum verò malum, si paupertas non vigeat, &

chari-

charitas, ac paterna providentia, ædificiorum causâ, deficiat. *Hugo de Claustr.* l. 2. c. 4. ædificia Fratrum non superflua sint, sed humilia, non voluptuosa sed honesta. Utilis est lapis in structura; sed quid prodest celatura?

IV. Nimia cura in sacris templi vasis & ornamentis, ac aliis paramentis emendis. Sacra templa fulgeant; at ita, ut pauperes Christi non algeant. Præceptum præponitur consilio.

V. Quorumdam Prælatorum ingenium durum & immisericors, qui cum ipsi robusti sint, omnes sua duritie metiuntur: nesciunt infirmis compati, nec delicatorum misereri. His nihil aliud est dicendum, nisi quod Prælati esse discant, & se Patres aliorum cognoscant, & divina iudicia formident; nam solet Deus duris duos Prælatos mittere, qui eos tempore senectutis & necessitatis immisericorditer tractent, & in suis ægri tudinibus tribulent. *S. Bonav. de 6. Alis Seraphim c. 14. Bonus Prælatus agnoscit se Fratrum suorum Patrem non Dominum: exhibet se eis medicum, non tyrannum: nec reputat eos ut iumenta sua, vel seruos emptionis, sed ut filios hereditatis supernæ confortes: facit eis, sicut vellet sibi fieri, si similiter indigeret. Sed fortes, & sani non sentiunt, quæ sentit ager; ideo nesciunt ei compati, scient autem postea, cum dolebunt. h. i.*

VI. Avidissima cupiditas nova Monasteria ædificandi. Acutissimus astus diaboli! Ajunt enim Prælati, se hoc facere ad Religionem ampliandam, ad quod ex officio tenentur; & ut transeuntibus Fratibus hospitium sit in qualibet civitate

tate

tate & pago. Sed latet anguis in herba. Cùm enim in quamplurimis pagulis, in quib^o isti Conventus sumuntur, vigeat in octavo gradu paupertas, & ita, ut vix sibi ipsis coloni diu noctuque laborantes sufficiant, nequaquam possunt commodè Religiosos ibi commorantes sustentare. Unde coguntur ii in tam parvo numero habitare, ut, moraliter loquendo, sit impossibile, ut vitam & disciplinam regularem observent. Vel coguntur ita ostiatim mendicare, ut potiùs continui cursores, & eleemosynarum quæstores sint nuncupandi quàm Religiosi: & potiùs videantur ibi stare ad victû sibi quarendû, quàm ad Deo servendum. inde Religiosorum vilipendium. NB. h. i.

Unde S. Bonav. in epist. ad Provinciales sui Ordinis, *Frequentia discursus*, ait, *Et importunitas quæstus, viles nos efficiunt, Et graves.* Et in exposit. Regl. c. 6. *Quando nimis urgemus homines ad dandum, perdunt devotionem priùs ad nos habitam; quòd nec de predicatione, neque exemplis, nec aliis qua facimus, adificantur. Unde cùm vident nos accedere, terrentur, Et timent, quòd aliquid velimus ab eis expetere, quòd grave sit eis dare, Et erubescunt negare: Et si dederint non libenter, minus merentur, Et sic rebus, Et devotionibus privantur. h. i.* Inde sibi quisque quærit peculium, ut possit suis necessitatibus subvenire, si quando contigerit, eum ad talia loca inhabitanda mitti.

VII. Ad illud autem, quod dicunt, se hos Conventus sumere pro hospitibus; Dico, quod incidit in scyllam, qui vult vitare charybdim. Et quod

quod ex duobus malis id quod est minus, semper est eligendum. Et ego puto minus malum, per unam noctem pernoctare in caupona, seu etiam in alia devotorum domo, quam permittere, ut duo vel tres, aut quatuor fratres habitent in istis tuguriis absque disciplina, absque timore, absque obedientia. Ubi enim sunt tantum duo vel tres, unusquisque facit, quæ sibi placita sunt. Inde scandala, relaxationes paupertatis, & aliorum votorum. Et taliter assueti si deinde reducantur ad Conventus, in quibus vigeat regularis disciplina, jam fracto jugo, ruptis vinculis, eis subijci amplius non possunt. Quod malum si considerarent, & ponderarent Prælati, equidem tot tuguria vel relinquerent, vel non susciperent. *h. i.*

VIII. *Inquiunt etiam;* isti Conventus erunt aliquando boni, licet nunc non ita.

R. Erunt boni, quando Religio erit mala & relaxata. *Replicant:* Sumimus, ut proximos adjuvemus. R. At nescio, quæ charitas, proximum adjuvare cum propriæ salutis dispendio. Reddite, inquiet Dominus in illa die, rationem villicationis vestræ, non proximi vestri. Adjuvare tenemur proximū post nos ipsos, non ante nos. *h. i.*

Quare sanctissimum fuit illud Decretum SS. D. N. Papæ Clem. VIII. Pauli V. & Gregorii XV. quod non reciperent Conventus, in quibus commodè XII. Fratres sustentari non possent. Et utinam fuisset additum, ut illa Monasteria jam recepta, in quibus dictus numerus non potest sustentari, vel non est saltem probabilissima spes, quod de brevi poterit, dimitterentur! *h. i.*

Interim

rim de his vide Const. Urban. in quibus fit exceptio.

R. 3. Subinde etiam hæ causæ præstant occasionem peculiorum, videl. I. Superiorum delicositas, dum paucis, & communibus nolunt esse contenti; quapropter justam subditorum contra se suscitant indignationem ac murmurationem; qui dum onera Monasterii in choro & claustro sustinent, miserè reficiuntur, ita, ut Superior uno die plus sine causa sufficente insumat, quàm illi omnes collectim tribus diebus. Quapropter sibi provident de privatis & peculiis, & refectiunculis.

II. Subditorum delicositas, qui nolunt esse modicis contenti; hinc &c.

III. Superiorum, æquè ac subditorum fastus; ex quo fiunt sibi præ aliis plus quid arrogantes; hinc peculiaria sibi quæritantes, & reservantes; Et quando ex eorum sumptuositate Monasterium fit egenum, jam ampliorem sibi vendicant causam peculia coacervandi.

IV. Nimia conversatio cum sæcularibus, & cupiditas placendi eis. Quocirca quærunt dare manuscula in & extra Monasterium; quæ ut habeant, vident ubi accipiant, vel à Monasterio auferentes, vel à sæcularibus quæritantes, vel alia arte ex practicantes.

V. Otium. Cui dediti quærunt occasionem ludendi, bibendi, jocandi, fabulis, nugis, & computationibus tempus impendendi &c. Ad quem finem provident sibi de peculio, cum ad illum communitas non sit parata suffragari, nec utique debeat; nisi furto velint ab ea surripere.

S

VI. Ab.

VI. Ante omnia tepor in Religione pandit viâ ad omne malum. Hoc abducti, non satagunt facere in Religione id, ob quod venerunt ad illam; sed, sicuti cor sæculare numquam ex toto deposuerunt, ita sæcularibus desideriis, & sæculari conversatione se in omnibus conantur sæcularibus conformare, non curantes, immo nec intelligentes S. paupertatis votum, obligationemque ejus. Prô dolor! subinde nimis verum est tritum adagium: *Quidquid agit mundus monachus vult esse secundus: Væ autem monacho, si velit esse Primus.*

CAP. XVI.

De triplici vitioso genere peculiaristarum.

I. DE peculiaristis in conscientia sua securis (de quibus supra) hic non agam. Accidit autem, quòd actus peculiaristæ sit vitiosus ex triplici capite disjunctivè sumendo: vel enim actus ejus (alioquin ex se bonus, aut saltem indifferens, & excusabilis.) 1. Inficitur ab objecto, utpote incongruo, superfluo, prohibito; vel 2. ab intentione, quia nim. proprietario animo sibi peculium reservavit; vel 3. à modo, quo utitur peculio, nimio affectu inhærendo, propugnando, expendèdo, augendo, amissionem timendo &c De quibus P. à S. Audomaro in orat. contra proprietarios, ait: *Nonne passim videmus eos ementes, & vendentes, ac in symposiis è suis crumenulis pecunias proferentes? ad instar secularium bursas nummis turgentes ostentantes, sese ridiculè de sacculis & oculis jactitantes?*

sis? *Gr.* Subdit, quòd quidam Priorum feratur dixisse: *Tot Fratres per didi, quot ad moniales misi.* Horrendum dictu, & auditu! *tot, quot!* volebat dicere: libertas, quæ confessoriis Monialium major favet, ipsos à paupertate subinde alienos efficit, in pecuniæ abusu, religiosæ sufficientiæ neglectu, ementito nitoris fastu, & incongruo corporis cultu. At de Confessoriis timoratis hoc minime præsumendum.

II. Exim. *P. Christianus Lupus* Ic. à *Zegnero* cit. sic discurret. *Joannes Cassianus* 7. l. monast. institut. tres distinguit proprietariorum classes. Triplex est hujus invaletudinis morbus, qui ab universis patribus æquali detestatione damnatur. *Unus hic*, qui deinceps miserabiles quosque, ea, quæ ne antea quidem cum in sæculo degerent, possidebant, congregare persuadet. *Alius*, qui hæc, quæ in primordiis suæ renuntiationis abjecerant, postea resumere, ac rursus desiderare compellit. Tertius, qui initio malo, vitiosoque contractu, & ab imperfectione incipiens, eos, quos semel hoc tempore mentis infecerit, paupertatis, ac diffidentiae timore perterritos, spoliare se cunctis mundi facultatibus non sinit, eosque pecunias, vel substantias, quas utique renuntiantes abjicere debuerant, reservantes, ad evangelicam perfectionem numquam pervenire concedit.

III. *Tertia itaque classis* sunt illi, qui omnia quidem sua Monasterio dant, aut pauperibus, sed sibi aliquam reservant vitalitiam pensionem aut censum. Ipsorum exordium est animo vitiosum. Monastica quippe professio non est aliud, quam omnium

temporalium abrenuntiatio. Atque ita adversum illos rectè dixit in 3tia collatione *Abbas Pafnutius*: necdum evangelicum implet mandatum, qui animo sibi adhuc ex suis facultatibus aliquid reservat, sicut nonnulli tepidorum faciunt: utroq; enim pede claudicant; nec *Monachum induunt*, nec *secularem deponunt*. Unde adversus Syncreticum ex Senatore Monachum ejusmodi scripsit *Magnus Basilius*: *Et Senatorem perdidisti, Et Monachum non fecisti*. Quod dictum prædicat, & ejus causam nobiscum laudat *Cassianus*, dicens: quædam sibi de propriis facultatibus Syncreticus reservat: rectè asserit, illos ad evangelicam perfectionem numquam pervenire; captivi enim manent sub Philargyria omnium vitiorum matre ac nutrice, quam quidam appetentes etiam à fide erraverunt. h. i. subdit.

IV. Ex ipsa pauperes Fratres despiciunt, cum plena humilitate non subjacent Præpositis, divina officia fastidiunt, operari nolunt, ad licentiosum alicujus privilegii aut præ eminentiæ in Monasterio locum quavis arte adspirant, ac se intrudunt, communi alimentorum ac vestium sorte contenti non sunt, atque ita Cœnobia sua pedetentim tranvertunt in illam *Coludensis* apud *Anglos* Monasterii miserabilem formam, quam in Anglicana *Venerabilis Bedæ* historia describit *Religiosus Presbyter Adamandus*, sic inquires: *Domuncula*, qua ad orandum vel legendam facta erant, nunc in comessationum, potationum, fabulationum, & ceterarum sunt illecebrarum cubilia conversa. Quomodo speluncam hanc immissus

inmissus ab irato Deo ignis eradicaverit, pluribus narrat laudatus *V. Beda*. Factū asserit ob excessus præsertim illorum, qui majores esse videbantur. Et concludit: hæc ideo nostræ historiæ inferenda credidimus, ut admoneremus lectorem operum Domini, quàm terribilis sit in consiliis super filios hominum; ne fortè nos tepore aliquo carnis illecebris servientes, minusque Dei judicium formidantes repentina ira ejus corripiat, & vel temporalibus damnis justè sæviens affligat, vel ad perpetuam damnationem districtius examinans tollat. *h. i.*

V. Subdit P. Lupus, grandem apud suos Monachum, ob similes vanitates fuisse visibiliter deportatum ad inferos, & Cayphæ, ac aliis Domini occisoribus adjunctum, narrat in eadem historia. Et denuo concludit: Factum est hoc nuper in Provincia Bernicorum, ac longè latèque diffamatum, multos ad agendum, & non differendum pœnitentiam provocavit. Quod utinam ex hinc etiam nostrarū lectione literarū fiat. *h. i.* Sed

Quær. quid judicii ferendum de nimis formidolosis Religiosis, qui ob defectum in senio, quem metuunt, aut exemplo aliorum sibi jam imaginantur, & prævident, in ætate robusta undeque peculium sibi coacervant, pro baculo senectutis, & fomento.

R. i. Si ipsi alios senes in necessitatibus reliquerint inconsolatos, justè venit hæc ultio Dei super illos, ut & ipsi derelinquantur; & tunc fortè hoc peculium non proderit; non enim est ratio, nec consilium contra Altissimum. Interim benigni-

tas Dei recipit pœnitentes, & consolatur eos.

R. 2. Talibus pensionatis ac peculiatis Monachis, plùs in pecuniæ, quàm Dei providentia confidentibus, & hinc Deo displicentibus propter suam exilem confidentiam, his, inquam, *Joan. Cassianus*, meritò applicat illud in Deuteron statutum: *Quis est homo formidolosus, & corde pavidus? non egrediatur ad bellum: vadat, & revertatur in domum suam; ne pavere faciat corda fratrum suorum, sicut & ipse timore perterritus est.* (cap. 20.) Ipsos ad monasticam militiam affirmat ineptos; semetiplos enim præcipitant in Monasteriis, & alios secum, licèt non in lapsum, tamen intubationem. *h. i.*

CAPUT XVII.

De peculiarium seu depositorum usualium incorporatione, & confusione, tam apud Moniales, quàm Monachos, seu Religiosos.

Q. 1. An ad hoc ut peculia seu deposita usualia particularia Religiosis particularibus licita sint in casibus suprâ allegatis, requiratur, ut *Conventui incorporentur, & confundantur*, prout dicitur in Decreto S. C. visit. Apost. inserto Constit. Urbanis. Ante responsionem.

N. 1. Ex *H. Casal* p. 4. c. 11. quòd duplex incorporatio possit considerari: *Una quoad solum dominium*; quâ scil. privata peculia dominio Conventus subsunt, ab eoque jure domini possidentur, ita, ut nullus alius sit peculiaris istius substantiæ dominus, quàm solus Conventus (nam pri-

privati solennes professores sunt dominiū incapaces, ut supponitur) licet interim quo ad actualem usum ac utilitatē, pro particularibus particulariū Fratrum necessitatibus sublevandis deposita hæc peculiaris substantia conservetur. *Secunda incorporatio est totalis*; de qua dicit cit. *Casal. Docet etiā Clemens VIII. ut pecunia incorporetur, ita debere communi misceri, ut inter pecuniam sororis Lucia, & sororis Ursulina, nulla appareat distinctio.* Bartolus l. si vacantia, dicit per Abbatem, vel Priorem curandum esse, ut ea pecunia describantur in libro aliarum possessionum, aut declaretur effectas esse de mensa, & incorporatas; vel certè ad minus promiscuè & indifferenter in omni necessitate iis uti debere. h. i.

N. 2 Ex eodem, dum fit solū *incorporatio quoad dominium*, peculia illa conservantur separata v. g. apud communem depositariam, ita tamen, ut quælibet Soror (vel Frater) habeat privatam bursam, seu pixidem clausam, appresso suo nomine, seu alio signo discretivo; inferatque, & extrahat pro necessitate sua sublevanda: & unaquæque pro se est sollicita; quælibet ad pixidem, & marsupium suum, ut necessitatibus suis prospiciat, diligenter recurrit, & quomodo conservet & augeat hunc suum reservatum casum (ut ajunt) satagit. At, ubi est perfecta & totalis *incorporatio*, ad solos Prælatos & Officiales pertinet, de mensa aut massa communi singulorum necessitatibus providere: nec audet quispiam pecuniam tenere *separatim*, sed neque computum eorum exigere, quæ dono aut alio

quovis titulo acquisisset; sed extemplo omnia debent Superiori exhiberi, vel Officiali, & per eum Conventui *incorporari*. In deposito autem, (dum non fit perfecta incorporatio totalis) illa pro particularium necessitatibus *separatim* asservantur; & quilibet (ut sic loquar) suum novit. *h. i.*

N. 3. Ex supradictis c. 13. §. *septima*, quod Superiores Regulares (multo minus privati quique, id est, subditi) caput secundum sess. 25. de Regularibus declarare, & interpretari nequeant (in quo cap. statuit & decernit S. Concilium de *incorporatione*, bonorum Conventus administratione, suppellectilium concessione, &c.) Quam interpretationem sic explicat *H. Casal*, quod *nullus audeat aut presumat mentem Concilii interpretari, relaxando id, NB. quod tanto zelo stabiliendum desiderat. Negotium illud non ad quemlibet de grege, sed ad Summum Pontificem, & S. Congregationem spectat; immo aliis sub poena excommunicationis lata sententia id prohibitum est; ut apparet ex Bulla Pii IV. quae incipit, Benedictus Deus &c. data Romae 7. Calend. Febr. 1563. h. i. Jam*

R. In Religionibus illis, in quibus per particulares Ordinis Constitutiones, aut Decretum S. Congreg. Eminentiss. DD. Cardinalium praescribitur, quod pecunia omnes tam certa quam incerta, aliaeque res quaecumque fratrum, etiam ex eleemosynis, concionibus, aliove labore, aut consanguineorum, seu aliorum largitione, etiam intuitu personae datae, aut alijs quovis modo ab
eis

eis acquisita, vel acquirenda, vel aliàs quomodo-
 libet Conventui obvenientes, debeant statim, id
 est, infra viginti quatuor horas, Superiori tradi,
 Conventuique incorporari, & confundi: ubi præ-
 terea præscribitur, quòd pecunia omnes, & res
 quæcumque Conventui quoquo modo obvenientes
 debeant communi arario, & deposito inferri, &
 in eo conservari: Itidem, quòd per Dispensatorem
 Conventus debeat Superiori, Fratribus, totique
 Conventui de singulis necessariis (mandante Supe-
 riore) provideri: Insuper, quòd Superiores quid-
 quid deposcit Fratrum necessitas, per Officiales
 Conventus, in propria tamen specie, non verò in
 pecuniis, Fratribus ipsis benignè, paternèque de-
 beant ministrare, &c. In illis, inquam, Reli-
 gionibus requiritur Incorporatio perfectior, &
 non sufficit incorporatio quoad solum dominiũ.
 Patet ex præmissis; quia, si de singulis necessariis,
 omnibusque Fratribus, etiam unicuique eorum
 familia minimo, ex pecunia communis ararii sub
 tribus clavibus custodita; in quo & Fratrum elec-
 mosyna conservantur particulares, sed non sepa-
 ratim, & illator illarum vocatur tantum exhi-
 bitor; fiat provisio, & sic debeat fieri; tunc non
 possunt ibi permitti licitè privata peculia, sepa-
 ratim conservanda, sub speciali ad singula clave,
 particulari marsupio, aut cistula, sed debent pro
 necessitatibus particularibus Fratrum, ita (ut
 præmissum est, & supponitur) incorporata, &
 confusa conservari. Et tunc etiam nulli in parti-
 culari habent causam, ob quam indigerent par-
 ticulare peculium, seu depositum habere; Cujus

concedendi tunc nulla causa sufficiens existeret: nec Fratres necesse habebunt, ut pro se in particulari sint solliciti, aut pro ulla necessitate sublevanda fatigant, &c. Patet hæc veritas sufficienter.

Qui autem aliter interpretatus fuerit, videat, ne vim faciat verbis, ne lædat animam suam, ita detorquendo Decretum S. Concilii Trid. & S. Congregationis in sensum tam violentum, *illud relaxando.* Qualiter verba illa sint in *naturali sensu*, (*non ita violento*) intelligenda, id satis patet ex contextu antecedente, & consequente, dummodo quis impartiali animo legere voluerit, & construere. *Verba legis non sunt otiosa; & illius est legem interpretari authenticè, cuius est condere.* Hæc vox *incorporare* numquam apud doctos habuit aliam intelligentiam, aut explicationem. Quocirca nimis dura & grossa esset intelligentia & incorporatio, si intellectus ejus posset in hoc salvari, quòd una cistula poneretur super aliam, una crumena prope aliam, &c. *Præterea* in illa Religione *non approbantur privata pecunia, seu deposita*, in qua jubentur omnes particulares quasque eleëmofynas communi ærario præsentare, & inferre, inibi incorporandas, & confundendas ita, ut Provinciale Capitulum, vel Capitularis Congregatio singulis annis habenda possit de iis absolutè, *& quidquid in Domino videbitur, quoquo modo disponere.*

Insuper esset ridiculum dictu, si Superiores tenerentur subditis de omnibus necessariis providere; & hi possent interim pro libito depositi peculium habere, augere, extrahere, exponere
 &c.

&c. O! quanta inde mala oriuntur, & exorta sunt !. Immo potius ut verum approbo, quod docet *Peyrinis*, quod Abbas non teneatur vestire, nec alimentare Monachum habentem pingue, & sufficientissimum pro utroque peculium, & hoc resignare nolentem. *Cujus ratio est*; quia (*per se loquendo*) qui privata sectando & quærendo, segregat se à communibus, indignum se facit, ut pascatur, & vestiatur ex communibus. *Ubi regnant private bursa, ibi rarò vivitur pacificè.* Hic terminus, *private*, odibilis est in S. communitatis lege.

Q. 2. Quid S. Congregatio Eminentiss. DD. Cardinalium decreverit circa privata peculia incorporanda, nominatim in Conventibus monialium.

Respondet Zegnerus in dissert. Canon. p. r. c. 1. §. 14. his formalibus. Fagnanus refert decretum S. Congreg. datum Archi-Episcopo Urbini. Hic enim cum retulisset S. Congregationi, se non potuisse adducere Moniales cujusdam monasterii ad suscipiendam exactam vitam communem; ideoque illis proposuisse, ut fieret communis arca, cujus clavis penes Abbatissam existeret, & intus eam aptarentur tot scriniola, quot essent Moniales, ita ut unaquaque haberet claviculam scrinioli sui, & in eo asservaret pecuniam ex laboribus vel aliunde partam, que in ipsius tantum, & non in alterius necessitates erogari deberet arbitrio Abbatisse. S. Congregatio hoc temperamentum iudicium existimavit, ac repugnans decreto Concilii Trid. ac S. Congregationis Apost. Visat. quod jubet, ut omnia

nia Superiori tradantur, Conventuique incorporarentur. Ideoque mandavit Archi-Episcopo, ut, quamdiu Moniales communem vitam non susciperent, interdiceret ipsis receptione puellarum ad habitum, & professionem h. i.

Deinde subjungit idem Fagnanus. Et generaliter tam S. Congregatio Concilii, quam S. Congregatio Episcoporum ac Regularium hanc receptionem prohibuit in pluribus Monasteriis Monialium, in quibus ex relatione Episcoporum intellexit communem vitam non observari. Immo cum in specie id prohibuisset in quodam Monasterio Lyciensi, & puella, quæ in eo habitum Novitiarum susceperat ante prohibitionem S. Congregationis, iterum ac tertio petiisset se ad Professionem admitti, offerens se communem vitam exactè observaturam; S. Congregatio semper abnuvit, periculosum existimans profiteri in Monasterio, in quo Moniales omnes erant proprietaria. (De quo Dionys. Carthus. in tr. de reformat. Monialium). Hæc ille.

CAPUT XVIII.

De verita peculiaritate & proprietate aliquarum Monialium.

I. Fidelis & prudens Dei servus Hieronymus, cum centum esset annorum, scripsit Regulam Monialibus Ordinis sui, in qua tangit, qualis communiter sit naturalis dispositio mulierum, & ait: (cit. à Dionys Carthus. l. de reformat. mat.

mat. Monial. a. 3.) Debilis est nimum sexus, quem geritis, fragilis, ac mobilis, si suo relinquatur arbitrio: & quamvis virtuosus sit animus mulieris, tamen nisi regatur, nisi dirigatur continuè, citò deicitur à sancto proposito, & e

Pergit cit. Author lc. a. 4.

II. Proprietas feminarum communiter est, appetere prohibita & negata. Idcirco cum fuerint pravis consuetudinibus infectæ & deformatæ, valde difficilè reformantur: nec informationibus rationabilibus faciliter acquiescunt, sed reclamant, plorant, & suis carnalibus conqueruntur amicis. Verumtamen quia omnipotenti Deo facile est, corda ipsarum illuminare, compungere, emollire, convertere; in primis orandum est pro eis fervidè & instanter: deinde admonendæ & instruendæ sunt piè & se-tiosè &c. Si autem non acquieverint exhortationibus piis, compellendæ sunt à Superioribus suis per viam rigoris --- Propinqui quoque & fautores earum informandi sunt seorsim prudenter de periculositate status Monialium. *h. i.*

Pergit Dionys. Carthus. a. 8.

III. Si malæ feminæ istæ, videl. Moniales proprietariæ, & irregulariter conversantes scirent, aut credere vellent, quàm quietam, dulcem, pacificam, & jucundam habeant vitam Moniales veræ, devotæ, regulariterque viventes, nequaquam diutiùs in sua irregulari, & periculosissima vita manerent, neque quiescerent, quousque existerent reformatæ. Quid enim

enim

enim jucundius, suaviusque pace pectoris, tranquillitate mentis in Deo, securitate conscientiae bonae, omni solitudine temporalium rerum carere, absque propria occupatione sufficientiam victus & vestitus habere, charitative atque pacifice conversari, & à Sponso caelesti desuper visitari, illuminari, accendi, ac consolari, meditationibus sanctis & contemplationi Dei sincere vacare, in studiis lectionum, & orationibus, & psalmodis ex charitatis fervore assidue occupari? Hæc autem Monialibus sacris verè devotis, in communi castè & obediente viventibus insunt, & comperunt. Quæ etiam in refectoriis suis melius habent, quàm aliæ, & claustra earum in temporalibus, ac spiritualibus prosperantur, dum universæ & singulæ quærunt bonum commune, & ea quæ Jesu Christi sunt, non commodum proprium & privatum. *h. i.*

Qua ille hic docet, experientia vera esse confirmat, scilicet quòd duplex benedictio præveniat & sequatur Moniales in communi pacifice viventes, uti & quòd ad reformationem acceptandam etiam in minoribus rebus Moniales aliquæ duræ sint cervicis, obstinatæ voluntatis, & ab assuetis æquè difficulter abstrahantur, ac aves adultæ à naturali cantu silvestri. Repetunt enim semper suum idem antiquum canticum, assueta non dimittunt, rationem non admittunt; eò, quòd libertatem amantes, detrectent arctiori jugo subjici, quamvis necessitas ejus, & summa utilitas illis evidenter demonstretur. *Porro,*
prin-

principalis doctrina hujus 3^{ti} §. etiam Monachis nondum reformatis adaptari potest.

Q. 1. Quæ mala sequantur ex proprietate, vel peculiaritate Monialium.

1. Respondet Dionys. Carthus. l. c. a. 8. his verbis. Moniales proprietariæ, & irregulariter conversantes habent varias tentationes, inquietudines, curas, suspiciones, contentiones, murmuraciones contra se invicem, & contra suos Superiores: & molestum est eis, durare in claustris, surgere ad matutinas, occupari in divinis officiis. Hæc omnia experientia docet. *h. i.*

Respondet 2. idem ibidem. Moniales tales parum aut nihil curant de obedientia observanda; & pronæ sunt ad indignationes, elationes, rebelliones, partialitates, comestiones, potationes, fabulationes, & ludos. Sunt etiam acciosæ, duræ, audaces, mundanis affectionibus, curiositatibus, ac variis mentis distractionibus plenæ. Rarò quoque carent ira, invidia, & concupiscentiis pravis; & divinum officium negligenter, curiosè, & corruptè persolvunt. Unum peccatum trahit ad aliud: &, quantò quis spiritalior, ac virtuosior esse tenetur, tantò ad enormiora & abominabiliora crimina labitur, dum ea, ad quæ obligatur, adimplere non nititur. *h. i.*

Respondet idem 3. a. 10. O! quàm periculosa, ac damnabilis est vita Monialium, suam professionem non adimplentium; quæ & suæ reformationi pertinaciter obviant & resistunt, aut
certè

tertè resisterent, si eis proponeretur. Quemadmodum ex sua professione tenentur esse multò meliores, & virtuosiores sæcularibus feminis, ita ex sua perversitate, inobedientia, pertinacia sunt multò deteriores & obstinatiores, quàm feminae sæculares. *h. i.*

Q. 2. Cùm cit. *Dionys. Carth.* Habetne Abbatissa auctoritatem dandi licentiam Monialibus, ut habeant pecunias aliquas, & quædam similia ad proprium usum, ex quibus provideant sibi.

Respondet idem sibi 1. Nec Pontifex Summus potest Monialibus dare licentiam talem, ut habeant propria, seu talia sic eis appropriata, sicut multæ Moniales nunc habent. Nec fuit intentio Patrum SS. talem proprietatem, aut appropriationem, & provisionem sui ipsius admittere, sicut jam passim admittitur; nec umquam aliquis Patrum sanctorum talia admisit, aut modo aliquo admisisset. Cùm igitur præcepta Superiorum accipienda sint, & servanda secundum formalem intentionem ipsorum, constat, quòd nec Abbas, nec Abbatissa, nec alius possit talem dispensationem peragere, aut talem licentiam dare contra ea, quæ SS. Patres in Regulis suis, & aliis libris apertissimè, & districtè prohibuerunt. *h. i. Subdit a. 11.* Cur peculium vestrum præfertis bono immenso, & potiùs vultis habere pecuniam modicam, ac proprium temporale, quàm divitias divinæ gratiæ, dona S. Spiritûs, spiritalemque profectum in omni virtute? *h. i.*

R. 2. *H. Casal.* adducit Decretum S. Congregationis p. 4. c. 11. in quo ipsa num. 45. *Confessarios plurimum hortatur, ut sedulo moneant Moniales, quatenus NB. peculium deserentes, praedictum vite communis institutum (tutam Deo servandi viam) sequantur.* h. i. Quod Monialibus suadetur ut consultum, id magis viris religiosis est consulendum, eò, quòd plures apud hos, quàm apud illas sequantur inordinationes nonnumquam ex peculiarium abusu.

Q. 3. Quæ sint tres latè patentes portæ, quibus Religiosis peculiaristis, seu proprietariis in infernum latus patet ingressus, dum votum suum paupertatis contemnunt.

Respondet H. Casal. quòd sint hæ tres. I. Dare, & accipere sine licentia. II. Recipere, & apud se retinere rem perniciosam, quæ vel in pravum finem data sit, vel quæ in habente, vel eam vidente inordinatos affectus causare possit; vel quæ Regulæ sit contraria, aut denique eam habenti superflua. III. Retinere rem aliquam proprietatis affectu, & quam ad usum communem promptè resignare paratus non sit. *O terque quaterque infelices, & verè abominabiles portæ, per quam tam NB. multi hodie Religiosi ingrediuntur, & eunt in perditionem! O abyssus detestabilis, cujus gratiâ infernus dilatavit os suum absque ullo termino! h. i.*



CAPUT XIX.

De peculiari Depoſito Religioſorum.

Q. 1. Quid ſit depoſitum Religioſorum. *R.* 1. Depoſitum legale eſt id, quod fidei alicujus depoſitarii committitur, manente penes depoſitorem rei depoſitæ proprietate, ita ut ſemper ei integrum ſit, quandocumque voluerit, eam repetere. De hac non quarimus hic. Hinc

R. 2. cum *Navarro, H. Caſal. &* aliis. Depoſitum nihil eſt aliud, quàm peculium, quod Officiali Conventus creditur, ut illud in arario, id eſt, caſta communi conſervet pro depoſitoris neceſſitatibus, cujus clavis ſit in poteſtate Superioris, & prædicti Officialis, ſive depoſitarii, ſeu ſenius, ſeu durum.

Ex quo colligit *H. Caſal.* quòd depoſitum in nullo differat à peculio, niſi ſolò connotatò, ſcilicet, quòd depoſitum in caſta communi, ſeu arario clavibus munito, ſub cura alicujus Officialis, vel Officialium deponatur, & hinc cum majori ſecuritate liceat, quàm peculium, quod poterat à Religioſo in cubiculo aſſervari. Excepta hac conditione, quæ eſt jam odioſiſſima, omnes conditiones, quæ requiruntur ad licitè habendum, etiam huc transferendæ ſunt. Inter quas tamen neutiquam computari debet illa, quam adducit *Lopes*, ut ſcilicet beneficio ejus Conventus liberetur ab onere tam multis providendi; ut notat *Caſal.*

Casal. Qui insuper advertit, non posse Superiorem quantumvis valde occupatum onus illud provisionis à se excutere, & in alterius privati subditi humeros rejicere, volendo, ut subditus sit sui ipsius dispensator, ac procurator, dicendo *vg.* Tu *Fr. Morice* sis tui ipsius dispensator, ac procurator: constituo te loco meo: permitto tibi vices meas: ipsemet tibi eme vestes, vinum, panem, cupedias, lignum, &c. *Ratio est;* quia Tridentinum jubet hæc peragi per *Officiales* publicos, & non per ipsosmet *Fratres*, aut *Patres*.

Q. 2. An depositum possit auferri per Superiorem.

R. Per se loquendo, posse, (nisi aliud decernant *Constitutiones Ordinis*) si tamen subdito velit indubitata fide & certitudine de necessariis providere. *Ratio est;* quia sine dependentia à voluntate Superioris, potentis sic vel aliter disponere, non licet habere depositum subdito. Hinc etiam subditi debent voluntate ferria, & non sola fictitia, aut complementitia esse resignati ad depositum subjiciendum dispositioni Superioris, sive consistat in pecunia, sive in veste, sive in libris, &c. Nec debent clavem, aut cistam abscondere ab oculis ejus; quod si faciant, illicitè *peculium* habent. Et, quia credo, quòd sæpe subditi in hoc non sint resignati ritè, hinc etiam non sint sine omni scrupulo peccati. De deposito autem sic loquitur *S. Bonav.* super *Regul. c. 4. ad 4.* *Ista Apostolica perfectio non est solum in itinere, sed domi etiam*

observanda, ut nullum depositum pecunie habeatur ab his, qui perfectionis regulam imitantur. h. i.

Q. 3. An Superior possit depositum concedere subdito pro tota ejus vita.

Respondet Casal, Non posse licitè; quia talis concessio est valde proprietati similis. Sicut &, si concederetur (quod fieri nequit, nec debet) ad usum quemlibet indefinitè, prout placuerit. Idem *Casal* sine dubitatione asserit, peculium aut depositum non posse justè teneri, quando Superior aut Monasterium vult, & potest in omnibus etiam minutis necessitatibus providere.

R. 2. Casal. Ex parte habentium depositum requiri, ut parati sint omni deposito se abdicare, & quælibet alia à parentibus vel aliunde accepta in communem usum conferre, quando collapsam vitæ regularis observantiam volet Superior instaurare, & reformationem introducere, aut certè iis alio modo uti. *Rationem dat;* quia Doctores communiter tradunt, Religiosum, qui ad hoc non esset dispositus (multò magis, qui Superiori resisteret) Ecclesiastica sepultura oportere privari, & in sterquilinum detrudi. *Hæc ille quidem, sed fortè non omnes credunt hæc ultima dicta.*

R. 3. P. Nigronius scribit, quòd Patres Societ. Jesu nulli permittant usum particularem alicujus rei, excedentis valorem nummi aurei.

R. 4. ex Navarro & Valerio. Inter alias causas justas depositi concedendi est necessitas librorum

rum

rum pro studio & concionibus, & aliud quodlibet necessarium, ut quisque talento suo ritè utatur, ac officium suum debitè administret.

Q. 4. An Depositor habeat præ aliis aliquale jus in depositum. De hoc fuit jam tum superius actum. Insuper ex *H. Casal.*

R. 1. Quòd quidem non habeat jus proprietatis ullum; nihilominus tamen ipse potest indifferenter in qualibet necessitate pro his depositis ad effectus à Superiore determinatos expendendis (& non aliter) depositarium accedere, & ab eo illa omnia, quibus suis necessitatibus fiat fatis, exigere. Et licèt inferibatur rebus depositis nomen illius Religiosi, qui eas deposuit: tamen eò non obstante, semper est Superiori liberum, alteri, si voluerit, erogare; cum ille Religiosus non habeat jus utendi, aut administrandi peculium illud; quamvis æquum omnino sit, ut, ubi est æqualis necessitas, Superior prudens & discretus curet in illius necessitates primò impendi, qui labore aut industria sua illud acquisivit, potius, quàm in alterius ignavi & negligentis, ubi ex Monasterii redditibus æqualiter omnibus provideri non potest. *h. i.*

R. 2. ex Basso Capuc. v. Paupertas Religiosa. Cùm depositum Religiosi, ut licitum sit, sit in potestate publici Officialis, vel Procuratoris, hinc in Superioris potestate esse dicitur, nam Officialis locum habet Superioris: adeoque, si quando Monasterium eget in communi, ex illis depositi pecuniis Monasterii necessitatibus provideri potest. Quod certè Superiores non raro

tentare deberent, ut discerent subditi non proprietatem, sed usum, & eum ad nutum Superioris se habere. Proinde Religiosus, qui tenet peculium apud depositarium tamquam rem propriam, & computat minutatim, quidquid per ipsum depositarium expenditur, nec patitur, ut Prælati possit de eo ad libitum disponere, mortale peccatum committit contra votum paupertatis. *Hæc ille.*

R. 3. ex eodem. Ut licitè habeatur depositum, requiritur quoque, ut subditus, quando ex deposito necessaria ab Officiali petit, exponat in particulari necessitates suas; nam aliàs esset ille tantum Officialis materialiter, & potius subditus esset dispensator, disponendo & ordinando, quid, & quantum, quando, pro quo vellet accipere, & expendere; quod tamen est contra mentem S. Concil. Trid. jubentis, ut dispensatio mobilium ad solos Officiales spectet, & nequaquam hæc committatur privatis subditis; ne inde quis sibi arroget quid amplius, quàm solum usum-facti pro sibi necessariis. Ex quo etiam deducitur, quod solius subditi non sit, dijudicare & taxare, quid hic & nunc necessarium sibi sit, ut pro illo possit absolutè ex deposito velle habere tantum & tantum, quasi dicendo & determinando: *hoc debeo habere, hoc volo habere, &c.* Nam hæc esset potius auctoritativa administratoris dispositio, quæ privato subdito nequaquam competere potest, nec debet; maxime cum ille aliquando privato amore excæcatus judice

dice

dicet necessaria, quæ potius sunt superflua, & magis serviunt ad delicias, quàm ut sublevetur necessitas.

R. 4. ex eodem citante Bartol. à S. Fausto. in Thesauro relig. l. 8. q. 30. Nec obstat dicere (ut fortè indulgentiùs sibi persuadent peculiaristæ religiosi seu depositores) mentem Romani Pontificis esse, ut prædictum depositum remaneat depositatum, ac designatum pro ejus indigentis, ac proinde Prælatum non posse de eo absque ipsius consensu disponere. Non obstat, inquam, quia depositum ad hoc inventum est, ut auferatur à Religiosis usus-fructus, & administratio peculii, & incorporetur saltem quoad proprietatem & usum-fructum cum bonis Monasterii; licet quoad simplicem usum-facti remaneat designatum ad sublevandas eorum indigentias; administratio verò ejus resideat penes prædictum depositarium, & hoc de licentia Superioris, & amovibiliter, & non ut præfati Regulares habeant ejus proprietatem aut usum irrevocabiliter, quasi Prælatus non posset de eo ad libitum disponere (si Constitutiones Ordinis nil speciale desuper disponant) &c.

Hæc ille. Vide supra in hoc

9. lib. c. 12. q. 1.



CAPUT XX.

*De particularibus casibus, in quibus fit abusus
peculii seu depositi apud Religiosos, &c.*

PLurimos recenset *Bartoluc.* quorum plures jam adducti sunt cum resolutione, in præmissis: præter quos aliquos singulares hic adducam.

I. Peccare mortaliter Religiosum, ait *Bartoluc.* citans *Navarr.* & alios, qui in emendo, acquirendo, recipiendo, & hujusmodi non intendit actualiter vel virtualiter suo Ordini vel Monasterio acquirere; quia proprietarius est, intendens sibi, non Monasterio acquirere.

II. *Palestrellus* in respons. casuum conscientiarum ait, quòd qui peculio fruitur, ut animo non sit paratus illud ad nutum Superiorum relinquere, delinquit mortaliter contra paupertatis votum; & tenetur illud à se abdicare (ceteris paribus.).

III. Idem ait peccare contra idem votum, qui licet paratus sit dimittere peculium ad jussu Superioris, ita tamen obmurmurat, ac querelas fundit, ut non audeat Prælati bona illa amovere, aut licentiam denegare. *Ratio est;* quia talis licentia non est simpliciter libera, sed quasi coacta, potestque dici permissio, sicut alia mala permittuntur, ut majora evitentur.

IV. *Bar-*

IV. *Bartoluc.* l. 1. §. 28. inquit : Ex iis omnibus collige , quàm arcta sit via paupertatis , per quam ex vi suæ conditionis tenentur incedere Regulares , & in quo salutis dispendio sint constituti videmmet Regulares , quibus nunquam satisfacit hujusmodi usus rerum simplex , sufficiens , & pauper ; sed è converso instar illorum , qui sunt sui juris , ac dominiorum capaces , quarunt continuò proprietatem , usum-juris , ac usum-fructum in omni eo , quod habent , acquirunt , vel quavis via eis obvenit ; non permittentes ullo modo , ut de iis omnibus Superiores disponere valeant pro libito suæ voluntatis : quinimo volunt tamquam locupletes hujus sæculi abundare in omnibus cum annexu omnium deliciarum , vanitatum , ac superfluitatum , non curantes tot sacrorum Canonum prohibitiones. *h. i.*

V. *Cajetan. & Navar.* citati à *Bartoluc.* dicunt esse in statu peccati mortalis & consequenter damnationis Regulares illos , qui non curant plus quam boni Clerici , vel Sæculares tendere ad perfectionem. Addit *Bartoluc.* qui anhelat ad salutem suam , tenetur esse singularis ; nam sacra Scriptura dicit Psalm. 13. *Omnes declinaverunt , simul inutiles facti sunt : non est qui faciat bonum , non est usque ad unum. Et arcta est via , quæ ducit ad vitam , & pauci sunt , qui ambulant per eam.* Matth. 7.

VI. Abutentes peculio fortè pro sua defensione allegant , se talem vivendi modum in Or-

dine invenisse, unde & in professione non intendisse se aliter obligare. His respondet *Bartoluc.* quòd, licet votum non obliget nisi secundum intentionem voventis, quando in eorum est potestate vovere sic, vel sic; sed quando ipsi non habent liberam potestatem in vovendo, sed est eis præscripta forma vovendi, prout fit in professione solenni, id minimè verum est: proinde forma ab eis per intentionem contrariam adulterari nequit; quia alioquin committerent fraudem in legem, quæ nulli patrocinari debet. Deinde profitentes se obligare intendunt ad observantiam non abusu, sed Regulæ, & Constitutionum, prout sunt à legislatore &c. & prout continent viam ad perfectionem. Etiam hanc observantiam illi habuerunt intentionem saltem implicitam, in quantum qui vult antecedens, scilicet Statum regularem, vult etiam consequens scil. obligationem ad observantiam illius, prout decet &c.

VII. Abutentes peculiis, sive ex parte objecti, puta superabundantis, sive ex parte modi conservandi, nequeunt se excusare, proponendo antiquitatis consuetudinem. Nam (ut refellit *Bartoluc.*) Possessor malæ fidei nunquam præscribit, & abusus est antiquus ille vivendi modus potius quàm usus, corruptela magis quàm consuetudo, aggravans magis quàm allevians, & irrationabilis prorsus, obvians Canonicis institutis, & voto paupertatis.
h. i.

VIII. Nec

VIII. Nec excusantur ob promptitudinem resignationis, ac traditionem clavis Superiori, quia ejusmodi promptitudo, ac clavis traditio illusoria, & fictitia est; quia verbo-tenus sola est, & non in executione, cum intus fervetur affectus possessionis. Et non illuditur sapientia Dei, cujus oculi sunt Sole clariores. *Hæc Bartoluc.*

IX. *P. Gratianus Carmelita* in sua disciplina regulari tit. de voto paupertatis, cit. à *Bartoluc.* sic inquit: hæc sunt patentia ostia, per quæ innumerabiles ferè demerguntur in profundum inferni; hæc sola persuasione delusi: Non mihi Monasterium subministrat necessaria, igitur mihi licet, quod volo facere; & sic deponentes omnem scrupulum conscientiæ, non verentur postea recipere, ac retinere omnia, & quæcumque bona tam mobilia, quàm immobilia, tam sibi convenientia, quàm non convenientia, tam sciente ac consentiente Superiore, quàm inscio, ac dissentiente. Hæc sit salutaris monitio iis, qui in Religione vivunt, extra observantiam vitæ communis, ne propter dicta inconvenientia periclitetur eorum salus. *h. i.*

X. *Bartoluc.* citans *Navar.* hæc quoque de abusu peculiarium contra peculiaristas docet. Non potest Regularis adhuc vivens disponere de suis bonis ad pias causas, vel ad cultum divinum abque Superioris consensu, vel permissu. Nam hoc facere nil aliud est, quàm defrau-

defraudare Monasterium, ut quis consulat animæ suæ; quod omnino inordinatum est: non enim sunt facienda mala, ut eveniant bona: Hinc clarè colligitur, quàm graviter errent, qui, prætextu melioris boni, de sibi concessio peculio vario modo disponunt. Sunt enim alii, qui legant suo Monasterio, vel alteri Ecclesiæ extra Ordinem aliquam pecuniarum quantitatem, hac obligatione, ut pro eorum salute fiant tot anniversaria. Alii verò in vita sua contra, vel præter voluntatem suorum Prælatorum emunt planetas, pluvialia, paramenta, vel hujusmodi pro ornamento Altarium, vel Ecclesiæ, & alii alias dispositiones faciunt pro suo quisque arbitrato: qui omnes graviter offendunt votum paupertatis; &, quod ex eorum opinione videtur causa & occasio salutis, pro dolor, & miseria! fit illis in scandalum, & ruinam, ac perditionem animarum.

b. i.

XI. Notat idem ex *Roder. & Navar.* Qui adhuc vivens condit aliquod memoriale, vel morti proximus declarat esse suæ voluntatis, ut post ejus obitum talis Religiosus habeat vel possideat suum peculium, vel talem ac talem rem, quæ ipse in vita possidebat, si id faciat ex testamento, vel ex donatione mortis causâ (nisi hoc habeat ex speciali privilegio Summi Pontificis) peccat peccato proprietatis, & debet ut talis, secundum dispositionem sacrorum Canonum, sepeliri in sterquilinio. Si autem non ut testamentarius,

mentarius,

mentarius, vel donator causâ mortis, sed solum ut simplex enunciator suæ mentis, rogando humiliter suum Prælatum, vel Conventum, ut pro sua libera voluntate illud aut istud pietatis opus illi vel isti faciant (cùm hoc non sit disponere, neque donare, sed tantum ad piè disponendum verbo piè rogare & exhortari) id licitè ac misericorditer facit, & consequenter justè ac sanctè.
h. i.

CAPUT XXI.

De potioribus actibus Proprietatis.

Not. De his quidem suprâ nonnihil tactum in fine libri secundi de paupertate. At hic uberius & specialius assignabuntur ab *Alvaro Pelagio* l. 2. de planctu Ecclesiæ cap. 67. ex quo *Barroluc.* & *P. Marchant.* alios annotarunt. Sunt autem sequentes.

I. Emere, vendere, donare, permutare, locare, compensare, conducere, emphiteutare, hypothecare rem immobilem, impignorare rem mobile, obligari, dissipare, qualitercumq; rem destruere, distrahere, sibi vel alteri appropriare, extraneo rem præstare, vero domino datori, cùm petierit, non statim restituere, pro re aliqua habenda vel recuperanda querimoniam in iudicio proponere, pecuniam mutuari, vel mutuare, testamenta exequi, pecuniam vel denarios deponere, vel deponi facere, capsulam cum pecunia, vel e-

jus

jus clavem ferre, pecuniam pro se accipere, vel accipi facere, pecuniam expendere, vel qualiter expendatur, ordinare.

II. In quacumque hereditate succedere, legatum accipere, annuos redditus, vel census, vel tributa, vel alios proventus habere, vel recipere: remittere refutationes, vel quietationes facere: cum scriptoribus vel aliis pacisci de dando tantum pretium: conventionem, vel obligationem, promissionemve alicui facere, recipere, reconvenire, transigere, sollicitare, stipulari, acceptilare, homagium recipere, pro re commodata pignus accipere, partem in hereditate paterna, vel consanguineorum tamquam jure exigere.

III. Tunicam *meam*, pecuniam *meam*, librum *meum* etiam solo ore dicere (nisi *ly meus* significet solum usum) claves cellarum Prælati non assignare; claves capsarum, seriniorum, armariorum, vel qualiumcumque repositariorum, eundo extra loca, Prælati non consignare. Librum, aut rem aliã, cujus Fratres communẽ usum habere debent, dum re illa non utitur, nec proximẽ utetur, Fratribus petentibus non præstare. De cella ablata per Prælatũ, vel quacumq; alia re corã Superiore querimoniam proponere: voluntate propria, & importunitate in loco, vel cella manere, vel eorum causã appellare, rem in usum unum concessam in aliam commutare: superfluarum rerum usum recipere, infeudare, vel in feudum recipere: testari, codicillari, aut ultimam voluntatem de re quapiam facere: præscribere, pretium pro opere aliquo, vel labore, nomine proprio recipere:

re : sine licentia Prælati rem aliquam recipere, dare, contrahere, usum-fructum habere, debitum contrahere, fidejubere: Possessiones, fundos, hortos, viridaria habere, superfluas officinas habere: in lacubus & fluminibus ad piscandum partem habere.

IV. Rem ad usum, cujus non est certus Dominus, habere: usum rei generalem seu communem in specialem convertere sine licentia Prælati: quamcumque societatem lucri cum aliquo habere: eleëmofynam sibi primò assignatam pro aliis futuris necessitatibus reservare: jure vel consuetudine à Monasterio aliquid recipere, non existente necessitate: habentes eleëmofynas vel necessaria extra Ordinem, velle à Monasterio eadem iterum recipere: Quamcumque rem Prælato celare, vel eo jubente statim eam non resignare: libros duplicatos ejusdem tenoris, & duo Breviaria, vel duo Biblia habere sine causa excusante, rem deputatam ad solum usum quocumque titulo alienare: re non uti, sed in thesauro reponere: à damnum inferentibus in rebus suo usui deputatis satisfactionem in judicio petere.

V. In manibus sæcularium rem aliquam habere sine licentia, vel deponere: in sanitate vel infirmitate clavem cellæ vel armarii Prælato extradere cum ea conditione, aut tacita intentione, ut nihil de cella auferat, in loco nativo velle habitare, & procurare, ne ibi extranei habitent (nisi tamen constitutiones aliter faverent) pro usu alicujus rei coram Prælato suo in judicio vel extra coram alio Fratre contendere, vel suum jus allegare: conve-

nire

nire ante mortem cum alio Fratre, cum vel sine licentia Prælati, quòd in morte succedat alius in peculio. Non manifestare Prælato, quæ quis habet in Ordine, vel extra. In morte non curare, ut res commodato accepta restituatur Domino. Expropriare se in morte, cum intentione, ut accipiat peculium, si convaluerit.

VI. Facere legata de peculio, vel curare Missas fieri pro anima sua ex pecunia depositi; facere fieri pitantiam Fratribus post mortem. Relinquere aliqua fabricæ Ecclesiæ, vel Sacristiæ, vel necessitatibus Fratrum; dare aliquid in infirmitate in Ordine vel extra sine licentia Prælati: eligere intra loca Fratrum aliquam sepulturam particularem: mori cum deliberata magna displicentia in mortis, impatientia, & murmuratione. *Hæc omnia superiora vitium proprietatis sapiunt secundum præfatum Alvarum. NB. Potest autem quis in his à peccato excusari ob ignorantiam, eò quòd malitiam non agnoscat in aliquibus.* Plures resolutiones in casibus, de quibus dubitatur, an sit, vel non sit aliquid peccatum contra votum paupertatis, vide resolutos apud *Antonium de Spiritu S. & P. Marchant.* in Tribun. Sacram. aliosque Authores regulares, qui ex proposito de hac materia scribunt.

VII. Notant communiter Doctores, ad moralem æstimationem gravitatis peccati proprietatis multum facit voluntas Superioris, & ejus contrarietas; ut nimirum contra seriam, absolutam voluntatem ejus censeatur res accipi, consumi, alienari &c.

VIII. No-

VIII. Notat *P. Marchant.* posse fieri, ut quis tria peccata reservata unico actu committat. v. g. si quis furetur in quantitate notabili aliquid de Monasterii bonis, illud detineat, & adjuratus mandato Superioris, inobedientiâ contumaci resistat. Est enim 1. Furtum notabile de rebus Monasterii, 2. Proprietas reservata, 3. Inobedientia contumax, qui casus seorsim in dicto Decreto ponuntur.

IX. De duplici pœna proprietariorum Notat cum aliis DD. *P. Marchant.* quod non incurrantur, nisi per sententiam declaratæ sint; & maxime posterior, scik. privatio ecclesiasticæ sepulturæ, si quis in proprietate mortuus fuerit, & ante mortem non pœnituerit. Ad hanc enim requiritur, ut juridicè & apertè constet de detentione proprietaria rei permanentis post mortem, sive Regulari jam defuncto. Nemo enim hac pœna plectitur ob usum tantùm simplicem quamvis proprietarium; neque si aliquod dubium de ejus voluntate, vel de detentione voluntaria rei appareat; neque si in morte, vel antè patefecerit, & suum peccatum passus fuerit. *Ratio est;* quia pœnæ juris sunt restringendæ, non ampliandæ. Unde qui post mortem inventus esset aliqua bona Monasterii alienasse, aut proprietariè absumpsisse, etsi in proprietatis peccato sit mortuus, pœnâ privationis sepulturæ plecti non potest; quia jura tantùm loquuntur de eo, apud quem pecunia, vel res aliqua permanens proprietariè retenta, vel apud

V alium

alium deposita est inventa. *Hec P. Marchant.*

X. Similiter dicendum, quod non sit quis in sterquilinio sepeliendus cum solennitate projectionis pecuniæ super eum, dicendo, *pecunia tua sit tecum in perditionem* (si constitutiones hoc jubeant.) nisi in proprietaria habitatione pecuniæ impænitens mortuus, & convictus sit. &c.

CAPIT XXII.

De donationibus, licitis in particulari privatis Religiosis respectu Sæcularium, aut aliorum Regularium.

NOTAT *P. Marchant.* in Tribun. quod quilibet Religiosus possit dare intra & extra Ordinem levia munuscula, quæ pietatis, & honestæ gratitudinis intuitu communiter in Monasteriis bene disciplinatis dari consueverunt, de implicito consensu Superioris. De quibus pro Fratribus Minorib⁹ speciale Decretum edidit *Nicolaus III.* in Extravag. *Exiit, qui seminat*, §. de largitione vilium &c. ubi sic inquit: *De vilibus autem mobilibus, vel parum valentibus, liceat ex præsentis nostræ constitutione, Fratribus pietatis seu devotionis intuitu, & (obtentâ super hoc prius Superiorum licentiâ) juxta quod inter Fratres in Generali, vel in Provincialibus Capitulis tam de ipsis rebus vilibus, seu parum valentibus, & earum valore, quàm præfata licentiâ,*

dia, scil. à quibus, & qualiter sit habenda, ex-
stiterit ordinatum, intra & extra Ordinem aliis
elargiri. h. i. ubi autem hæc licentia, & vilitas
materiæ non taxata est in Capitulis, ea taxanda
erit à timorata conscientia, & præsumptione li-
centiæ Superioris &c. vel statutis particularibus,
aut mandato restrictivo Superioris localis.

Adnectendæ hic sunt Declarationes Urbani
VIII. super rigidiore Bulla Clem. VIII. de largitio-
ne munerum, quam mitigavit sua declaratione.
Et

I. Quidem declarat Pontifex licere Superio-
ribus Regularibus, & ipsis subditis cum licentia
Superiorum largiri munera causâ gratitudinis,
remuneracionis, conciliationis, aut conservatio-
nis benevolentia erga Conventum, aut Religio-
nem, aut quavis de causa respiciente de sui na-
tura actum virtutis, modestè tamen & discre-
tè.

II. Licentiam requiri non tamen in scriptis,
sed vocalem, nisi concurrat ambitionis, aut ali-
cujus inordinatæ actionis suspicio, quâ munera
donarentur, ad ambitiosè obtinenda officia, bene-
ficia, dignitates.

III. Comestationes, & convivium in excipiendis
lautè benefactoribus &c. eatenus tantum prohi-
beri, quatenus decentiæ status religiosi adversa-
rentur.

IV. Causam, & modum largitionum relin-
quit determinationi Capitulorum Generalium,
& consequenter Provincialium, ubi genera-

lia defunt, vel etiam Superiorum declarationi.

V. Quantitatem largitionum, & alias circumstantias non specificavit. Mihi certum est, quod in illis debet attendi causa necessitatis, vel finis, ob quem donationes fiunt: personarum, quibus largitio permittitur: & earum, quibus munera dantur, status, & qualitas: Monasteriorum, & Conventuum constitutio; Regulæ rigor, & austeritas &c. Cum enim finis Bullæ fuerit, providere, ne bona Monasteriorum dissiparentur, aut ne Regulares munitibus & largitionibus sibi favores ad officia, & promotiones conciliarent, aut etiam ne muneribus ad proprietates & actus indecentes, & Religioni incongruos abuterentur; ideo in his maxime causa donandi, facultates Monasteriorum, personarum officia & munia, utilitas Monasterio ex donationibus proveniens, considerata veniunt; & licentiæ Superiorum juxta supra-dicta restringendæ, moderandæ, aut etiam ampliandæ sunt. Et quamvis constet de licentiâ implicita, actus tamen ab omni excessûs immoderantia sunt conservandi; nec umquam præsumendum est de licentiâ Superioris extra terminos religiosæ observantiæ, & honestatis, ac charitatis. *h. i.*

Tractatum hunc de *Proprietate, Peculio &c.* doctrinali exhortatione Reverendissimi Domini Abbatis *Picinelli*

Concludo.

Nos pestilentem hanc proprietatis luem pro virili abominemur, & satagamus, ut, vivendo in communi, nec aliud desiderando prater unicam Dei fruitionem, accenseri mereamur Beatis illis, qui nihil habentes proprii in hoc saeculo, erunt omnia possidentes in regno eterno. Amen.



Francisci Patris dat de pore lumine
 Rectum de ans pore da pi
 Accensum habet datum dis amore
 Nutritum dis tice^{ab} igne
 Confratru de est **FRCS** dib gest so
 Inque in rupto pore gemapob
 Sic psallant pia da sonent et nua Davi
 Cantantis am salit ante chely
 Unde polipulcher de estam pore **IES**
 Stigmata sacra gerit, litat ante Deu

Antoni alme pre signis de ate superni
 Nostra, de dum pora da sin
 Tecta tuo ac dent, cae um da rigar
 Obtineas da haecc rige de arce
 Nostra heu! ruerat **AV** da sub ore
 Unde haecc datim rige ne perear
 Ore sinum disrogo dib,ingere lume
 Suscipe nos servos digerorqz be

Primum vivens Ultimum moriens
 Erat fideLIBVs UnIVERsIs ab InItIo
 Cor UnUM et SplrItVs UnVs.

Act. 4. 32.

Si modo Cor unum fuerit, si Spiritus unus
 Tum Deus in nobis Trinus et Unus erit
 Abbas Westensh.





Vobis, ô SS. PP.

FRANCISCE SERAPHICE,

Ac

ANTONI PATAVINE,

SAcer est hic Tractatus, immo non incongruè totus hic Liber, cum omni totius vitæ meæ studio, & virium conatu, Siquidem vestris sanctis meritis, & piis intercessionibus refero in acceptis, quidquid in hac Seraphica Religione (quæ mihi ab annis 33. usque nunc per Dei gratiam pia Mater est) unquam eniti potui. Vos itaq; in Patronos immo potius patres *Cura communitatis*, per vos in hac Religione stabiliendæ, eligo, adopto, filiariterque imploro. Votis his clientularibus aspirate, *curam curâ* potentiori adjuvate & fulcite; Religio enim vestra est, fetus laboris ac sudoris vestri est, propago orationum vestrarum est; ut & ipsa nova sit occasio novi gaudii vestri, vos efficitote precibus vestris paternis ac singularibus.

Piè mihi imaginor in ingressu hujus anni nonagesimi noni (post millesimum sexcentessimum) quem heri auspicati sumus, quòd Salvator noster piissimus Jesus Christus cordibus omnium, qui sunt de grege vestro, inclamet salvifica verba illa, quibus olim excitavit & recreavit dilectam sponsam suam *S. Gertrudem*, pro se suisque sodalibus, calendis Januarii ab eodem Divino

Sponso spiritale xenium humiliter petentem:

1. *Renovamini*, ajebat, *Spiritu mentis vestrae*:

2. *Regulam vestram attentè legite, exactè servate*:

3. *Et ero Magister vester*: 4. *Ac de splendore cordis mei lumen vobis abundans suppeditabo*.

Pariformibus verbis idem Magister noster Summus Christus per vos pulsat ad aures nostras mentales: cui ut reverenter & obedienter aperiamus, vos lumen gratiæ abundantius ab illo nobis efflagitate, robur spiritus exposcite, Magistrosque simul & Patres hujus nostræ & vestræ Religionis vos ostendite; ut, quæ vestra intercessione plurimum nititur, ejusdem efficacia delectetur & gloriatur.

Tu *Pater Seraphice*, quamvis olim in subditis Fratribus *curam sollicitam* pro seipsis abominare-
ris in temporalibus, attamen Ministris & Custodibus, id est, Superioribus districtè jussisti in Regula, ut pro Fratribus induendis, ac infirmis reficiendis *sollicitam curam* gererent. Fac nunc ipse prece & affectu Magister, quod per te jubetur facere Minister. Fac nos, tuis precibus, primum quærere regnum cælorum, & justitiam ejus, cogitatumque nostrum in Dominum jactare (juxta monitum tuum) quoniam ipsi cura est de nobis, qui proinde nos enutriet, & necessaria quæque, si digni fuerimus, adjiciet. Tu in vita tua sanctè gloriatus fuisti olim, & aliis admirantibus œconomiaæ tuæ singularitatem, divinamque circa gregem pauperum providentiam, fastus es, dans gloriam Deo, quòd tota œconomia tua consisteret in pio religiosa vita studio, & spe de Deo firmissima. Hanc œconomiam tam singulariter
sine

sine singularitate singularem doce quoque nos omnes; & in *cura sine cura* sat contenti & bene securi erimus.

Tu etiam *S. Antoni Patavine*, quia communis es omnium Patronus, Adjutor, Procurator, & Advocatus, quidni & Fratrum tuorum eris? quorum gaudia sicut indies renovas & auges tui *S. Corporis* pignore, (utpote in Basilica Patavina apud nos requiescente) ita &, intercessione tua, renova testimoniò internæ lætitiæ; ut, qui nos esse possessores gloriamur tui corporis, cohæredes nos esse lætemur & Spiritûs, simul & in multiplicata fratrum familia experiamur lætitiâ spiritalem diffusam uberius.

Nobis in posterum cura erit amplior, industria sollicitior, qualiter vos veneremur, & propositum nobis vitæ vestræ SSimum exemplar pro viribus imitemur: sperantes, quòd vobis vicissim major cura erit de nobis, si nos ipsos exuerimus nobis. cum anno novo novum hominem induentes, & spiritum mentis nostræ stabili fide renovantes. † *Hic Tractatus sit devotionis meæ*

ad vos tessera, & Xenium: vestra

*Benedictio erit meum, &
nostrum.*

* * *

* *

V 5

LIBER